DE
NOMINIBUS VASORUM GRÆCORUM
DISPUTATIO.

SCRIPSIT

ET AD IURA MAGISTRI ARTIUM MORE MAIORUM
ASSEQUENDA DIE 7. SEPT. HORA LOCOQUE SOLITO

PUBLICE DEFENDERE CONABITUR

JOANNES LUDOVICUS USSING,
PHILOL. CAND.

RESPONDENTIS MUNERE FUNGETUR

CHRISTIANUS LISTOW,
PHILOL. STUD.

HAUNIÆ.
TYPIS *BLANCI LUNI.*
MDCCCXLIV.

Hoc specimen inaugurale Facultas Philosophica in Universitate Havniensi dignum judicat, quod pro gradu Magisterii rite obtinendo publico eruditorum examini subjiciatur.

Havniæ d. 19 August. 1844.

J. Reinhardt,

h. a. Fac. Philos. Decanus.

Introductio.

§ 1.

Nemo est hodie paulo litteris excultior, qui nesciat, quantum sit antiquæ Græciæ in historia humani generis momentum; nemo est, qui ignoret, Græcos ante omnes ostendisse, quid liber animus cum ardenti studio coniunctus posset; nemo est, qui non maxime miretur divina illa poëtarum opera, quæ per tot secula decantata nunquam oblivione obruentur; nemo, qui non summa cum admiratione intueatur reliquias illas sculpturæ Græcæ, quibus tempus pepercisse videtur, ne nimis nobis magni videremur. Quanta autem ipsius historiæ dignitas esset, nulla unquam ætas clarius intellexit quam nostra; ut non amori veniam, sed labori gratiam postulare posse ii videantur, qui fideli opera student, ut uberrimus ille historiæ fons quam maxime purus et liquidus sit, ut priorum temporum populos non solum auditu cognitos habeamus, sed quasi in illustri scena agentes oculis ipsis conspiciamus.

Longo spatio remotum est illud tempus, quo floruerunt antiqua Græcia et Roma; graves postea tempestates vexarunt illas terras; ut studio et labore opus sit, si quis illorum temporum imaginem revocare vult. Sed ne vanum et inane sit hoc studium, effecit magna illa copia scripto-

rum Græcorum et Latinorum, quæ, quum commune incendium cetera deleret, auri instar absumi non potuit. Ac litteræ quidem antiquæ, nemo dubitat, quin præcipuus sit huius cognitionis fons; sed etiam alium emittit terra, rerum omnium parens. Etenim calamitas illa, quæ Herculanum et Pompeios antiquis eripuit, nobis servavit, ut post multa tempora certum et luculentum extaret testimonium. Obruit eadem terra fragmenta sæpe egregiæ artis operum, quæ mutilata et truncata acceperat, ab ulteriore injuria vindicans. Aperuerunt impiæ manus etiam sepulcra mortuorum, ut, quas mortuis inutiles opes consecravisset religio veterum, vivis existeret ferax cognitionis semen. Protulerunt autem ex sepulcris præter sarcophagos ipsos variam supellectilem, imprimis ingentem vim fictilium vasorum.

Vilia plerumque et parvi pretii fuerunt hæc vascula, ut verum fateamur, nobis tamen minime negligenda. Nam et vetustate fere omnia, quæ ad nos pervenerunt, monumenta superant, et argumenta in iis picta vel ad religionem et fabulas, vel ad privatam vitam et omnem vitæ cultum cognoscendum non sane paulum conferunt. Porro quamvis ab opificibus potius quam artificibus profecta sint, nec magis sibi possint artificiorum nomen arrogare, quam ea vascula, quibus nos quotidie utimur, tamen ea est quum ipsorum vasorum elegantia, tum sæpe pictarum figurarum pulchritudo, ut hic quoque non possimus non admirari Græcorum hominum ingenium. Fastidiosi profecto simus, si tam largum scientiæ fontem temere repudiemus. Nam qvotannis nova sepulcra reperiuntur, nova copia vasorum invenitur et per omnes terras dispergitur. Etruria, Campania, Apulia, tota fere Italia, etiam Sicilia et Græcia ipsa nunquam exhauriri posse videntur. Nec sane neglexerunt ea viri docti; tanto enim studio in hæc vascula consideranda incu-

buerunt, tot libros de iis scripserunt, tot imagines evulgarunt, ut hic si usquam videantur omnia plana esse debere. Et sunt, nisi fallor, modo ne nodus in scirpo quæratur. Sed sunt quidam tanta antiquorum hominum admiratione imbuti, ut se non solum litteris et artibus, sed etiam nugis et ineptiis ab iis superatos esse velint, easque iis sententias tribuant, quas neque ipsi intellexerint, neque quisquam intelligere possit. Hi arcana mysteriorum, quæ ne verbis quidem eloqui fas erat, per imagines profanis vulgi oculis expositas vilibusque in ollulis pictas in foro prostitisse putant. Hi nihil sinunt opifices simpliciter, nihil ornatus causa facere, nihil non obscuris quibusdam rationibus ductos; ut interdum ex iis quærere libeat, nonne omnes risuri essent, nonne ipsi essent risuri, si quis hodie, quum in poculo villam aliquam pictam invenisset, putaret, villæ dominum etiam poculi esse, aut quum florem effictum vidisset, eum diceret significare florentem adolescentiam domini. Talia sic nude posita facile ridentur, verum ubi cum magno doctrinæ apparatu proferuntur, minus apparent. Nec tamen parvi habendum est, si tales errores animis insideant, si ex illo populo, quem omnes admiramur, inepti quidam minutiarum sectatores fiant. Videntur autem hi errores facillime sublatum iri, si simplici animo et incorruptis oculis ipsa vascula contemplati fuerimus.

In vasis prior sine dubio est quæstio, quæ sint, altera quibus rebus ornata sint. Nos igitur hac disputatione illud quærimus, quæ sint ea fictilia, quorum tantus numerus in sepulcris antiquis invenitur, vel quibus ea nominibus appellaverint antiqui ipsi. Sed antequam ipsam rem aggredimur, necesse erit, quædam et de universo genere vasorum et de ratione huius opusculi monere.

§ 2.

*Qua de causa in sepulcris inveniantur vasa.**)

Populi ut de morte statuunt, ita mortuos sepeliunt. Qui se mortis adventu putant beatos in æternam pacem redire et in parentis naturæ sinum dissolvi, corporis reliquias, ut primum decessit anima, festinant flamma delere. Qui autem inanes inferorum tenebras horrent, nec nisi in eo, quod viderunt, corpore ullam sperant fore humanam vitam, nihil magis verentur, quam ne non satis diu integrum permaneat cadaver. Hi quia non intellexerunt, corpus non esse hominem, non minore cura dignos putant mortuos quam vivos, imo maiore etiam, quatenus illa cura quotidie repeti potest, hæc semel habetur in omne tempus mansura. Itaque videmus, domus mortuis ædificatas esse, a vivorum domiciliis eo maxime differentes, quod luce carerent. Has aut supergesta terra prorsus ab hominum conspectu removet, aut excavatæ rupis latus portas lugubres ostendit prætereuntibus (ut in Ægypto et Etruria; v. Rosellini M. C. tab. 3; Monumenta Inedita Instituti Romani, quod dicitur "della Corrispondenza Archeologica", vol. I, tab. 48 et 60); plerumque monumenta superstructa locum indicant piæ memoriæ consecratum esse. Quæ autem in vivorum domiciliis proposita fuerant, ut et tuto et commode habitaretur, eadem in his mortuorum. Itaque Ægyptii ingentes montes excavarunt, aut, quasi non terra montes suppeditaret, ipsi ædificarunt. Etiam maiores nostri ingentibus coactis lapidibus cellulas aut supra terram ("Steendysser"), aut infra terram paullo maiores ("Jettestuer") construxerunt. Antiqui autem Italiæ incolæ sepulcra aut in rupibus incisa

---

*) v. Rosellini Monumenti dell' Egitto. Mon. Civil I, p. 131—143.

habebant, ut in Etruria, Apulia, Lucania (v. Mon. Ined. Instituti Romani vol. I, tab. 40—43, et Lenoir aliique in Annalium vol. IV, p. 254—295; Millin: Les tombeaux de Canosa), aut, ubi natura loci deficiebat, ex lapidibus constructa, quum alii laterculis vel etiam nuda terra contenti essent (vid. Jorio: Metodo per rinvenire e frugare i sepolcri degli antichi, Napoli 1824; Gargiulo: Collection des différentes formes des vases Italo-Grecs, ibid. 1822, et Cenni sulla maniere di rinvenire i vasi fittili, ibid. 1831. Imprimis autem de omni hac re egregie disputavit Abeken: Mittelitalien vor den Zeiten römischer Herrschaft, 1843, p. 238—259).

Ut autem non solum tuto quiescerent, sed etiam eleganter et, prope dixerim, commode, ut qui in vita fuerat apparatus, ne mortuis quidem deesset, etiam hæc extrema cubicula omni ornatu instruxerunt. Inde parietes hypogeorum Ægyptiorum multiplici pictura ornati sunt, nec in Græcia et Italia minus vulgatus erat hic mos (vid. K. O. Mülleri Archæol. § 177, Abeken l. l. p. 421 sqq.; rarius anaglyphis ornantur parietes, ut Canusii (vid. Millin l. l.), aut inscriptis litteris, ut Cære (vid. Lepsius in Annal. Inst. vol. VIII, p. 195). Deponebantur mortui vestiti et armati; addebantur ornamenta et alia ad mundum corporis pertinentia, imprimis autem vasa. Hæc quum interdum cibaria, oleum, vinum, alia continuerint, sæpissime videntur vacua posita fuisse, vel ornandi causa, qui in vita fuerat vasorum usus ad ornandos abacos, vel ne domus supellectile sua careret — quam ab rem etiam mensam videmus in sepulcro Tarquiniensi, quod spectetur dignissimo, quod vulgavit C. Avolta in Annal. Inst. vol. I, p. 91 sqq. tab. B.

Magno nationum consensu fere per omnem terrarum orbem invenitur hic mos, ut vasa cum mortuis sepeliantur, inde ab Ægypto ad Oceanum Borealem, et ultra Oceanum,

ut apud Mexicanos. Verum unice abundant tali copia eæ terræ, ubi Itali et Græci habitarunt. Græcia quidem ipsa non ita penitus perquisita est; sed ne quis dubitet de hac re, satis multa prohibent exempla; ex quibus unum sufficiat afferre, *σορὸν κεραμέαν* Athenis inventam, quam delineavit Stackelbergius in libro de sepulcris Græcorum, (tab. 8), ubi circum pueri reliquias inventa sunt varia vasa accurate disposita. Docet idem Strabonis locus de colonia Iulia Corinthi, ubi tradit, novos colonos eversis sepulcris ingentem vim aeneorum et fictilium vasorum invenisse, Romanos autem, quo essent antiquitatis studio, fictilia eodem pretio habuisse atque aenea, donec quærendi tædium colonos caperet, quum iam non integra vasa, sed fragmenta testarum reperirentur. Adscribam verba eius, quæ sunt in libro VIII, p. 216 Tauchn. *Τὰ ἐρείπια κινοῦντες, καὶ τοὺς τάφους συναναςκάπτοντες, εὕρισκον ὀστρακίνων τορευμάτων πλήθη, πολλὰ δὲ καὶ χαλκώματα· θαυμάζοντες δὲ τὴν κατασκευήν, οὐδένα τάφον ἀσκευώρητον εἴασαν, ὥστε, εὐπορήσαντες τῶν τοιούτων καὶ διατιθέμενοι πολλοῦ, Νεκροκορινθίων ἐπλήρωσαν τὴν Ῥώμην· οὕτω γὰρ ἐκάλουν τὰ ἐκ τῶν τάφων ληφθέντα, καὶ μάλιστα τὰ ὀστράκινα. Κατ᾽ ἀρχὰς μὲν οὖν ἐτιμήθη σφόδρα ὁμοίως τοῖς χαλκώμασι τοῖς Κορινθιουργέσιν, εἶτ᾽ ἐπαύσαντο τῆς σπουδῆς, ἐκλιπόντων τῶν ὀστράκων, καὶ οὐδὲ κατορθουμένων τῶν πλείστων.*

Manserunt etiam postea, quum mortui comburi coepti essent, illius moris vestigia. Non loquor de cinerum urnis in tugurii speciem fictis, quales in Latio inventæ sunt (vid. Mazois: Les Ruines de Pompéi, II. p. 34); sed inveniuntur in vasis præter ossa et cineres interdum aliæ quædam res, ut apud nostros maiores aculei, globuli, alia; Athenis autem in notissima illa amphora Burgonis, quam edidit

Millingen in Inedit. Monum., I, tab. 1—3, non solum cineres, sed etiam sex minora vasa continebantur. Verum si causa huius moris quæritur, ad fontem redeundum est, ad antiqua illa mortuorum domicilia, quae tali invenimus ornata supellectile accurate ad symmetriæ, quam Græci dicunt, legem disposita.

Mirum est, viros doctos summo studio rationes quasdam quæsivisse, quæ intercederent inter hæc vascula et mortuum ipsum. Sunt qui putent, ea fuisse vasa, quibus in funeribus usi essent: miram vero parsimoniam veterum, quæ ea demum mortuis concederet, quibus vivi uti non possent utpote funere contaminatis. Vulgatior eorum opinio est, qui statuunt, ea fuisse, quibus defuncti in vita delectati essent. Affertur Vitruvii locus IV, 1. "Virgo civis Corinthia iam matura nuptiis implicita morbo decessit. Post sepulturam eius, quibus ea viva poculis delectabatur, nutrix collecta et composita in calatho pertulit ad monumentum et in summo collocavit, et, uti ea permanerent diutius sub divo, tegula texit." Apparet, Vitruvium de longe alia re loqui, et potius contrarium inde effici; nam si illa virgo solito more sepulta est, dubitare non possumus, quin etiam solita vasa circum eius corpus humatum disposita fuerint, ubi, a Vitruvio docemur, non fuisse ea, quibus viva delectaretur, sed in summo monumento. Nec tamen equidem negaverim, etiam talia vasa cum defunctis sepeliri potuisse; illud nego, hæc sola fuisse: nam mirus sane fuit amor numero circumscriptus et ad symmetriæ legem redactus.

At, inquiunt, vasa dona fuisse, ipsa vasa ostendunt; nam et inscripta nomina personas indicant et argumenta picta occasiones, quibus hæc munuscula oblata sunt. Huic sententiæ unus error subesse videtur, quod non satis meminerint, quam *vili pretio* venierint hæc fictilia apud anti-

quos. Audiamus autem Aristophanem in Ran. v. 1236 de ampulla (ληκυθίῳ) dicentem: λήψει γάρ ὀβολοῦ πάνυ καλήν τε κἀγαθήν. Alia testimonia suppeditant ipsa vasa, in quibus interdum inscripta inveniuntur pretia vasorum, non penicillo picta, sed stilo rasa. Nam ne commemorem illa inscripta "in poculo rotundo fictili Athenis reperto" (Boeckh. C. J. n. 545) Κηφισοφῶντος ἡ κύλιξ, ἐὰν δέ τις κατάξῃ, δραχμὴν ἀποτείσει, δῶρον ὂν παρὰ ξένου, ubi multiplicatum esse pretium apparet, in pede craterae cuiusdam hæc leguntur: *ΚΡΑΤΕΡΕΣ: ΓΙ*

ΤΙΜΕ: ⊦⊦⊦⊦.

Pretium igitur sex craterarum fuerunt quattuor drachmæ, sive unius quattuor oboli. Videmus vilitatem maximam. Alia eiusdem generis collegit is, unde hæc petita sunt, Letronnius in Ephemeridibus Eruditorum (Journal des Savants) 1837. p. 750 sqq., quæ quia non æque certa sunt, sed variis coniecturis permixta, repetere nolui. Idem p. 756 satis refutavit Gerhardum, qui, quum signa quædam huius generis male intellexisset, ingenti pretio putaverat venisse hæc fictilia vasa (v. Berlins Antike Bildwerke p. 154; Neuerworbene Denkmäler n. 1605).

Ex tanta vasorum vilitate sequitur, non parvum quendam numerum, sed ingentem multitudinem eorum fieri consuevisse, eaque non artificum sed operarum manibus deberi. Ac primis quidem temporibus figuli nomen inscriptum invenitur, aut pictoris (ut Νικοσθενες εποιεσεν, Επικτετος εγρασφεν vel εγραφσεν, i. e. ἔγραψεν. Raro idem utrumque fecit, ut Εχσεκιας εγραφσε καποεσε με. (v. Gerhard. Rapporto Volcente in Annal. Instituti Romani vol. III, p. 74. sq.); sed paulatim hæc nomina rariora fiunt; postremo prorsus evanescunt, ut opinor, quia iam non liberi homines vasa fabricabantur, sed officinæ servorum singulis dominis ser-

vientium. Patet, non singulatim confecta esse, nec singulorum in usum, ut ea demum nomina inscriberentur, ea demum argumenta pingerentur, quæ postulasset is, qui delicias suas grato munusculo beare vellet. Quod ut interdum fieri potuisse minime negamus, ita vulgo factum esse non potest. Prodibant vascula ex officina figuli picta et inscripta, incerto adhuc, in cuius possessionem ventura essent; prostabant in foro tam numero multa quam specie varia, et si cui aptum nomen aut imaginem appositam quærere libuerat, optio erat.

Nec aliud ex vasis ipsis efficitur. Videamus primum litteras et maxime decantatum illud vocabulum *καλός*. Novimus Athenienses, quibus nulli unquam magis *φιλόκαλοι*, solitos esse, eorum nomina, quos amarent, addita voce *καλός*, in parietibus, corticibus arborum, quovis denique loco inscribere. Itaque Sitalces apud Ar. Ach. v. 144 *ἐν τοῖσι τοίχοις ἔγραφ᾽· Ἀθηναῖοι καλοί*, et Philocleo in Vesp. v. 98 ubi *Δῆμος καλός* invenerat, adscribebat *κημὸς καλός*, v. Suidas s. v. *καλοί*. Eadem ratio est eorum, quæ tam sæpe in vasculis leguntur, *καλός, ὁ παῖς καλός, ἡ παῖς καλή*, aut nullo nomine adscripto, ut in quamvis possent convenire, aut addito certo nomine, *ὁ δεῖνα καλός*. Sed etiam hæc nomina temere arrepta esse, docent ea vasa, ubi plures celebrantur *καλοί* (ut *Χαρμιδες καλος* et *Τεισιας καλος* apud Millingen: Uned. Mon. 1, 31, et multa alia. Vid. omnino Gerhard. Rapp. p. 78 sqq.). An putamus, unum vas duobus fuisse donatum? Docent clarius etiam ea, ubi inscripta nomina manifesto referuntur ad pictas figuras (ut *Περσες καλος, Κεφαλος καλος*, imprimis memorabile poculum ap. Gerhard. Antike Trinkschaalen tab. 14—15, ubi conspiciuntur sex viri et sex mulieres, illisque *καλος*, his *καλη* omnibus adscriptum). Omnino hæ inscrip-

tiones nihil aliud ostendunt, nisi egregiam Græcorum ludendi licentiam; nam, quum aliquid scribendum esset, hoc enim mos postulabat, quid scriberent, nihil referre putabant, modo ne vacuum spatium relinqueretur. Cuius rei insigne exemplum extat in Monumentis Ineditis Instituti Romani, I, 39, ubi hæc leguntur in epichysis cuiusdam ambitu, litteris ornamenti causa inter folia positis: *Ιολ... φιλος καλος Νικολα Δοροθεος καλος, καμοι δοκει, ναι, χατερος παις καλος, μενουν καμοι δοκει.* Quin etiam qui litteras nesciebant, nihilo minus scribere volebant, et, paucis quibusdam litterarum elementis, quorum ipsi vim ignorabant, repetitis, inscriptionis quandam speciem efficere conabantur. Quamquam fuerunt, qui hæc incognitæ linguæ monumenta existimarent, quum alii antiquitatem affectatam putent. V. Gerhard Rapp. p. 70 sqq.

Sed magis etiam mirum, quod argumenta in vasis expressa putarunt quidquam probare posse, ex iisque intelligi, qua occasione singula munera essent oblata. Gerhardus quidem (l. l. p. 84 sqq.) tria facit genera, athletica, palæstrica, nuptialia dona. Quid enim aliud nudi adolescentes cum strigilibus, nisi palæstram, quid Amor volans aut compta et ornata mulier, nisi nuptias significare potuit? Nec minus argute, eum morem fuisse, concluditur ex testimoniis antiquorum scriptorum, ut Hesychii s. v. *λεκανίδες* et Photii s. v. *κέραμον*, ubi traduntur sponsæ maritis præbuisse placentulas et aromata in patellis, aut Pindari Ol. 7 init., ubi socer dicitur generi pateram, quam ei propinasset, donare, non affinitatis causa magis quam convivii (*συμποσίου τε χάριν κᾶδός τε τιμάσαις ἑόν*); nam in conviviis hoc moris erat.

Illa vero prorsus pervagata est opinio, fictilia vasa fuisse *præmia* ludorum publicorum; qualia Boeckhius (in

Indice Lectionum Berolinensium 1831—32 p. 3) petit, ut sibi liceat novo nomine præmiaria dicere. Vereor sane, ne non tam nomen, quam res ipsa nova et inaudita sit. Nam apud Homerum quidem una cum servis, cum pecunia aliisque rebus videmus etiam vasa pretiosa esse certaminum pretia; postea vero gloria ipsa victoriæ et honor coronæ satis præmii fuisse videtur. In Panathenaicis præterea metretes olei ex sacris Deæ arboribus donabatur victoribus. Quis non videt, vase oleum contineretur, necesse fuisse; sed oleum præmium fuit, non vas. (Quod primus docuit Bröndsted: On Panathenaic vases in Transactions of the Royal Society, vol. II, p. 133). Vasa erant amphoræ illo tempore vulgo usurpatæ, fictiles et pictæ, quas commemorat Pindarus in Nem. X, 35: γαίᾳ δὲ καυθείσᾳ πυρὶ καρπὸς ἐλαίας ἔμολεν Ἥρας τὸν εὐάνορα λαὸν ἐν ἀγγέων ἕρκεσιν παμποικίλοις. Nec dubitari potest, quin tales sint amphorae illae, quarum in altera parte conspicitur Minerva cum hasta et clipeo, adscriptis litteris τῶν Ἀθήνηθεν ἄθλον*); easque recte puto vocari Panathenaicas, quamquam hoc nomen latius patuisse videtur; nam in descriptione pompæ Bacchicæ apud Athenæum (V, p. 199, d), unde nomen sumptum est, apparet, non olei, sed vini amphoras commemorari. Scripsit de his vasis præter Bröndstedium Gerhardus in Annal. Instituti Romani vol. II, p. 209—24, cf. Mon. Ined. tab. 21—22. Hoc loco illud tantum commemorabimus, unam modo eiusmodi amphoram Athenis inventam esse (v. Millingen Un. M. I, tab. 1—3. Müller Denkm. I, n. 91), unam Agrigenti, ceteras ad quadraginta numero Volcis et Nolæ, unde effici

*) Vulgo legunt ἄθλων. Omnino tam multis modis versata sunt hæc verba, ut sane miremur, neminem in hoc incidisse, quod omnium facillimum videtur. Mihi ostendit Madvigius.

videtur, eas non in solis Panathenaicis ludis usurpatas fuisse, sed vulgares fuisse olearias amphoras, vulgo venditas et exportatas, ut inscripta verba non usum, sed genus significent.

Ac ne quis putet, hæc vasa in mortuorum et sepulcrorum usum esse facta, non solum formarum varietas etiam varii usus testimonium est, sed quæ in ipsis vasculis picta sunt, sæpe usum eorum imagine exprimunt, ut in urna videmus mulieres aquantes, in crateris, amphoris, poculis convivia, potantes, libantes, alia, quarum imaginum exempla innumerabilia sunt. (Cf. Abeken Ital. Med. p. 364). Extremæ sane ætatis sunt quædam vasa, quorum partim ita contorte elegantiæ et artis speciem sectantur, ut vix ad vitæ usum, sed ad ornatum solum facta videantur, partim argumentis expressis tam unice mortem et inferos, luctum et inferias oculis obiiciunt, ut eo ipso, quod diximus, consilio facta putemus, sepulcrorum ornandorum causa.

§ 3.

De origine et generibus vasorum fictilium.

Antiqua vasa fictilia quum in Etruria maxime inventa essent, prima hominum opinio Etruscis adscripsit, et diu ab omnibus Etrusca vasa appellata sunt. Mox pluribus inventis, nec in Etruria solum, sed et in Magna Græcia et in Sicilia et in ipsa Græcia, intellectum est, a Græcis profecta esse, si non omnia, at longe plurima. Nam secernenda sunt quædam manifesto Tusca opera, in Etruria sola inventa, ornata non imaginibus penicillo pictis, sed typis ex argilla fictis (vid. Abeken l. l. p. 301 & 359 sqq.). Secernenda etiam alia, Romanæ artis opera, eleganti rubore coloris et typorum pulchritudine insignia. Sed *pictorum*

vasorum genus Græcis hominibus tribuendum videtur, quamquam nec negamus, Italos barbaros Græca opera imitatos esse, — extant enim vasa quædam non sane multa, Osce inscripta (v. Cabinet Pourtalés tab. 9; in Museo Berolinensi nn. 1613—18), etiam Tusce et Latine (v. Gerhard: Berlins Antike Bildwerke I, p. 162, cf. p. 341) — nec nescimus, primos artis conatus ita sæpe similes et prope geminos esse vel in dissimillimis populis, nihil ut certi constitui possit, id quod in hoc genere apparebit, si quis cum antiquissimis Græcis vasculis comparaverit ea, quibus nostri maiores usi sunt, aut quibus Ægyptii antiqui (vid. Rosellini Monum. Civil. II, p. 308—334).

Scripserunt de generibus vasorum multi; imprimis *Gerhardus* in Rapp. Volc. p. 12 sqq., qui multa bene distinxit et animadvertit, quamquam etiam ea distinxit, quæ distingui non debebant: velut Tyrrhenam quandam pingendi rationem commemorat, inter Græcam et Etruscam mediam, eamque putat adscribendam esse Græcis artificibus inter Etruscos viventibus; sed nec eius nec Abekenii (l. l. p. 296 sqq.) disputatione perlecta ullum aliud discrimen invenire potui, nisi alia diligentioris, alia negligentioris esse operis. Tum et Gerhardus et alii imitationem quandam sibi deprehendere videntur et affectatum studium male pingendi. Mirum sane studium! At causam afferunt, scilicet quo antiquiora viderentur vasa. Atque in Romanis quidem tale fuisse antiquitatis studium, Strabonis locus docet supra laudatus; sed docet idem locus, hæc picta vasa longe illis temporibus priora esse, quippe quæ prorsus nova et incognita visa sint invenientibus. In hac autem antiquitate imitatio talis, qualem in sculptoribus Græcis et Romanis posteriorum temporum non magis fuisse negamus, quam in pictoribus quibusdam huius sæculi — talis, inquam, imitatio non an-

tiquæ necdum adultæ artis est; illius ea est artis, quæ materiæ victrix et formarum potens non manuum facultatem sibi deesse viderit, sed internam illam animi vim, quæ priores artifices incitavit, ut non possent non opera facere, quamvis rudia futura essent.

Scripsit de eadem re *G. Kramer* ("Ueber den Styl und die Herkunft der bemahlten griechischen Thongefässe". Berolini 1837), qui acute et graviter probare studuit, Atticam fuisse vasorum pictorum originem; quod ut in multis iisque optimis et laudatissimis verum videtur, ita modum excessit sine dubio, quod in omnibus putavit. Eius sententiam adoptavit *Kugler* in historia artis p. 239 sqq. *Abekenii* librum de Italia media iam sæpius laudavimus.

Distinguenda videntur tria genera.

1. *Antiquum et rude genus* (v. Gerh. Rap. p. 14—18. Kram. p. 46—72. Abek. p. 290 sqq.). Huius est argilla pallida, formæ graves, ornamenta fusco colore, nigro aut rubido, picta, tam multa, ut fere nullus locus vacuus relinquatur, ubi paulo procerius vas est, pluribus ordinibus et, ut dici solet, zonis distributa, plerumque aut flores sunt, aut, quod vulgatissimum, animalia, interdum homines venantes. Exemplum laudatissimum huius generis Corinthi inventum est a Dodwellio; vid. eius Travels II, p. 196. Müller Denkm. I, n. 18. Alia exempla v. ap. Gerh. et Gargiulo Cenni, tab. V, et sparsim in tab. X, quæ continet extremæ et barbaræ artis vasa; nam recte vidit, rudem et barbaram artem sæpe antiquam videri, quum non sit; quamquam distinctio sæpe perdifficilis est, sæpe fieri vix potest. Ut autem de iis loquamur, quæ vere antiqua sunt, pertinent ea ad id tempus, quo Græca ars, nondum sui iudicii facta, retinebat ea, quæ ab aliis, imprimis Asiaticis populis acceperat; cuius generis sunt feminæ currentes, quattuor alis instructæ, alia.

Hæc vasa vulgo Ægyptiaca vocant, alii nihilo aptius Phoenicia, Kramerus Dorica mavult, eumque sequuntur Kuglerus et Abekenius, quia inscripta nomina Dorica sint. Quare non dubitarunt hæc Doribus et Corintho ipsi, patriæ artis plasticæ, tribuere. Ne hoc quidem satis recte; nam inscripta nomina minime omnia Dorica sunt. Affert Kramerus inde a p. 57 plura prorsus Ionica, ut *Λεοδοκος, Αταλαντε, Ηιππολυτε, Αινεες,* alia. Quod autem litterarum formæ eæ sunt, quæ vulgo Doribus solis tribui solent, ut ϙ, Ѵ pro Χ, C pro Γ, inde non sequitur, ut Ionica nomina non sint Ionica; contra ex eo, quod hæc Ionica nomina illis litteris scripta inveniuntur, sequitur, ut eæ litteræ non solis Doribus fuerint; nec, quia usque ad hunc diem qui antiquissimi inventi sunt tituli, Dorici fuerunt, ulla est causa, cur statuatur, aut Dores prius quam Iones scripsisse, aut Iones antiquissimis litterarum formis non fuisse usos.

De ætate horum vasorum nihil definire ausim; Müllerus in Archæologiæ § 75, 2 ait, Dodwelli vas sub Ol. L. factum statui posse propter litterarum formas; sed nihil impedit, quo minus antiquius sit; cf. Abek. p. 292.

2) Alterum genus longe præstantius *Atticum* est. Nam ut Corinthus inventrix artis plasticæ fuisse dicitur, ita Athenæ perfectrix est habenda. Critias quidem in elegia, cuius fragmentum extat apud Athenæum I, p. 28, b. c., quum enumerat eas res, quibus singulæ terræ glorientur, Athenas ait invenisse fictilia:

τὸν δὲ τροχοῦ γαίης τε καμίνου τ' ἔκγονον εὗρε,
κλεινότατον κέραμον, χρήσιμον οἰκονόμον,
ἡ τὸ καλὸν Μαραθῶνι καταστήσασα τρόπαιον,

Addit Athenæus: *καὶ ἐπαινεῖται ὄντως ὁ Ἀττικὸς κέραμος,* eundemque laudat IV, 136, f. et XI, 484, f. Adiuvabat etiam natura; nam Attica terra habebat præclaram

illam argillam Coliada, de qua Suidas s. v.: *ὅσαι πρὸς σκευοπλαστίαν ἐπιτήδειαι, πασῶν ἡ Κωλιὰς κρείσσων.* Notum est, magnam partem Athenarum dictam esse *Κεραμεικόν*. Nec in foro solum prostabant *χύτραι* *), sed exportabantur et per totam Græciam divendebantur. Quare Argivi et Æginetæ in festis quibusdam lege interdixerunt, ne quis Atticis testis uteretur (v. Herodot. V, 88). Parcos autem Lacedæmonios, Eratosthenes (ap. Ath. XI, 482, b.) tradidit, crateris usos esse non ex argento factis, neque gemmis ornatis, sed *τῆς Κωλιάδος*. Ac ne putes, mercaturam Atheniensium ipsius Græciæ finibus circumscriptam fuisse, quum multa prohibent clarissima exempla, tum vel ea, quæ in manibus habemus, Critiæ verba in elegia supra commemorata, laudantis aenea et aurea opera Etruscorum, et psephisma quoddam Atheniense (v. Bulletin. d. Inst. 1836, p. 132) de colonia in Adriam (i. e. ad mare Adriaticum, v. Kram. p. 204) deducenda, ut tuta esset et secura navigatio Atheniensibus in illis maribus. Non mirum igitur, si Attica vasa non Athenis solum, sed etiam Æginæ, in Sicilia, in Italia inveniuntur. Pertinent enim huc ea vasa, quæ maxime celebrantur, Volcis et Nolæ inventa, quæ vulgo putarunt his ipsis locis esse facta, quum Volcis nulla videatur Græcorum colonia fuisse, Nola Chalcidensium illa quidem colonia fuerit (quod negare non debebat Kram. p. 148 sqq.), sed nunquam admodum floruerit. Est autem eorum cum iis, quæ in ipsa Attica inventa sunt, tanta et tam perfecta similitudo, ut nulla dubitatio residere possit. Ac ne quis nobis obiiciat, nulla

*) v. Ar. Lys. 557 sq.
Νῦν μὲν γὰρ δὴ κἀν ταῖσι χύτραις κἀν τοῖς λαχάνοισιν ὁμοίως περιέρχονται κατὰ τὴν ἀγορὰν ξὺν ὅπλοις ὥσπερ Κορύβαντες.
Unde rustici quidam grammatici nomen proprium fecerunt *Χύτρας*, ut schol. ad Ar. Av. v. 13 et Hesychius.

in Italia tam egregiæ pulchritudinis inventa esse, quam sunt aliqua Atheniensia, facile intelligitur, non omnium optima, sed vulgaria vascula in tam longinquas terras exportata esse; satis est, genus esse idem. Neque hæc argillæ solum et fingendi pingendique rationis est similitudo, sed et verba et nomina inscripta prorsus Atticæ dialecti sunt (v. Kram. p. 167 sqq.), et picta argumenta tam plane Attica, ut vix alius quam Atheniensis talia expresserit. De Panathenaicis amphoris iam diximus (p. 11). Omnino sive fabulas respicimus, non solum ortus Minervæ pictus invenitur, sed etiam pugna Deæ cum Neptuno, non Ceres solum, sed et Triptolemus, non Theseus tantum, sed et filii eius Acamas et Demopho, tum Cephalus, Orithyia, Erichthonius, alii (v. Kram. p. 187 sqq.); sive vulgarem vitæ consuetudinem spectamus, nihil magis Atticum inveniri potest (v. Kram. p. 189). Quid quod loca ipsa Attica sunt, ut tripus dedicatus ab Acamantide tribu (Mus. Blacas tab. I), mulieres Athenienses ex Callirrhoe fonte aquam petentes (v. Bröndsted: A brief description of 32 ancient Greek painted vases, found by Mr. Campanari. Lond. 1832. Nr. 27).

Differt hoc genus a priore (vid. Gerh. Rap. p. 18 sqq.; Abek. p. 293 et 337) primum colore rubicundo Coliadis argillæ, quam *βάπτεσθαι ὑπὸ τῆς μίλτου* Suidas dixit; et quidem crescente arte semper maior vis rubri, maior splendor nigri coloris. Augetur simul formarum elegantia; augetur maxime pingendi peritia. Quo factum est, ut fere continua series operum ad nos pervenerit, a rudi inde initio ad summam perfectionem. Discernenda autem duo maxime genera; nam antiquior pingendi ratio ea est, ut nigræ figurarum species in rubra vasis superficie exprimantur, recentior ea, ut figuris exceptis totum vas nigro colore inficiatur, illæ rubi-

cundæ relinquantur. Ut in illo rudi genere maximam videbamus ornamentorum multitudinem, ita hic semper maior apparet simplicitas et paucitas ornamentorum; nunquam plures figurarum zonæ, tantum in antiquioribus interdum aliud in corpore, aliud in collo vasis argumentum; omnia ad symmetriæ legem pulcherrime disposita. Argumenta raro sunt animalia, ut galli, sæpius humanæ species, et primo quidem Deorum concilia et pugnæ, heroum fortiter facta, hominum certamina, Bacchici coetus; postea sensim Dii semoventur; argumenta sæpius ex hominum et ex privata vita petuntur, interdum ex comoedia, viri palliati conversantes, adolescentes nudi cum strigilibus quasi ad balneas euntes, convivia, innumerabilia alia.

In ætate horum vasorum definienda maxime inscriptarum litterarum formis utuntur, lubrico sane argumento. Quo quidem tempore coepta sint confici, equidem non dixerim; quo desierint, potius videtur constitui posse. Extat enim in Museo Blacas, tab. 1, vas quoddam Nolanum, in quo pictus conspicitur tripus cum titulo dedicationis *AKAMANTIΣ ENIKAΦYAE* antiquis litteris Atheniensibus, quas in monumentis publicis post Ol. LXXXVII, in usu fuisse negant. Infra autem legitur *Γλαύκων καλός* iis litteris, quæ Euclide archonte Ol. XCIV, 2. lege receptæ sunt in publicis monumentis, quum ante illud tempus sine dubio in privata vita usurpata fuissent. Repudiata igitur omni imitationis et affectatae antiquitatis suspicione (v. supr. p. 13), si quid ex his testimoniis concludere licet, hoc vas eo tempore factum statui potest, quo illa litteratura in publica, hæc, quasi cursiva in privata vita usurparetur, i. e. non post Ol. XCIV, fortasse ante Ol. LXXXVII; saltem ad *posteriorem partem quinti ante Chr. n. sæculi* pertinere videtur. Quod si verum est, quo tempore florebat maxime scul-

pendi et pingendi ars, etiam hoc genus floruisse existimandum est. Consentit fere Abeken, qui (l. l. p. 294) antiquiora huius generis vasa Athenis confecta statuit Ol. LXX—XC; quod autem recentiora, Nolana, in ipsa Campania facta putat (p. 337), nobis quidem videtur idonea causa carere; nam hæc quoque si cum Atticis comparantur, discerni vix possunt, sin autem cum optimis ex Italico genere, cum iis, quæ circa Plistiam (S. Agatha de' Goti) inveniuntur, ingens discrimen est.

3) Tertium genus reliqua continet picta vasa, non Attica, sed *Italica* maximam partem. Kramerus quidem (p. 129 sqq.) etiam hæc Attica putat; cui minime accedo. Nam neque ulla similia in Attica inventa sunt, et inscriptiones tam paucæ sunt, nihil ut probare possint, neque in rebus et argumentis quidquam Athenarum proprium reperitur. Conspiciuntur sæpe capita humana; sed pleraque referuntur ad elegantem vitæ cultum et maxime ad feminarum ornatum, ut nihil vulgatius quam mulieres cum flabellis, cum scriniis unguentorum, similibus; non raro ad mortem et inferos deducimur, ut hæc vasa sepulcrorum causa facta videri possint. Unum restat Krameri argumentum ex continuatione artis petitum; putat enim ex his et prioribus unam quandam, non interruptam effici seriem artis sensim evectæ ad summum fastigium, eoque superato iterum descendentis. Quod nobis quidem secus videtur. Immane quantum interest, nisi fallor, inter Atticam illam artem, quæ semper maiorem simplicitatem sectatur, et hanc, cui nulla figurarum et ornamentorum multitudo, nulla colorum varietas satis magna videtur. Quæ porro illa ætate, quarto vel, si hoc mavis, tertio a. Chr. n. sæculo tanta depravatio artis Atticæ intelligi potest? Quasi nihil unquam perfectius fieri potuerit quam Nolana vasa, ut, quum eo per-

venisset ars, necesse esset, retro cedens in peius mutaretur. An obliti sumus præclaras illas epichyses Atticas, quæ Bacchum aut alia non picta, sed typis expressa habent (v. Stackelberg Gräber d. Hell. tab. 49—52)? Hæc autem vasa, quæ vel argillæ color alius generis esse docet, in Campania, Apulia, Calabria, Lucania, Bruttiis ipsis, ubi reperta sunt, fabricata videntur. In quibus terris ne quis dubitet quin floruerit ars plastica, monent, ut hoc utar, præclara illa ornamenta Metapontini templi ex argilla cocta. Sed rem conficit inventa anno 1828 Oriæ in Apulia figlina officina (v. Bullet. d. Inst. 1834 p. 55), vasis referta omnium generum, maxime eius generis, quod frequens circa Barium est, quorum nigra superficies corollis, capitibus aliisve rebus satis parce ornata est albo plerumque colore: ut de his saltem nulla dubitatio restet.

Quo tempore desierit hoc genus sive artis sive potius opificii, non facile dixerim. Gerhardus usque ad S. C. de Bacchanalibus (a. 186 a. Chr. n.) perducit propter mysteriorum rationem. Eum satis refutavit Kramerus p. 137 sqq., qui ipse censet, sub secundum Punicum bellum desisse.

Nec tamen ideo figulorum ars desiit: imo floruit quam maxime et per omnes terras vulgata est; nec pulchritudine cedebant prioribus ea vasa, quæ post conficiebantur, non penicilli ductibus sed typis ornata. Commemorantur apud Horatium et Martialem Campana, Cumana, Surrentina, alia; sed maxime apud Plinium XXXV, S. 46., multa genera enumerantur. Omnino per omnia tempora testacea supellectile utebantur ad vulgarem et simplicem vitæ cultum; sed vilia hæc erant; nec post Alexandri Magni ætatem quisquam, cuius vita paulo lautior esset, non aenea et argentea vasa habebat (v. Eratosthenes et Polemo ap. Ath. XI, 482,

b. & 483, c.), dum Plinii ætate (XXXVI, S. 67, § 198) vitri "usus ad potandum argenti metalla et auri pepulit."

§ 4.

De nominibus vasorum.

His vasis primo inventis, quo cuique nomine libuerat, appellabat, ex sua lingua desumpto. Quod ut naturale erat nec per se admodum vituperandum, ita et hoc habebat incommodi, quod eadem vasa alibi aliis nominibus appellabantur, neque eum fructum afferebat antiquitatis studio, qui iure expectari posse videbatur, ut, tanto numero monumentorum invento, constaret etiam, quas ad res iis usi essent veteres, vel, quod idem est, quibus nominibus appellassent. Laudandum igitur eorum studium, qui eam operam susceperunt, ut vera vasorum nomina quærerent, etiamsi non satis intellexerint, qua via in hac re insistendum esset.

Quum alii sparsim et data occasione hanc rem egissent, primus universam rem suscepit *Theodorus Panofka* libro edito, qui inscribitur "Recherches sur les veritables noms des Vases Grecs." Paris 1829. fol. Movit rem, non promovit; nec iniuria *Letronnius* in censura huius operis, quæ legitur in Ephemeridibus Eruditorum 1833, Mai., Jul., Oct., Nov., Dec., et seorsum excusa est cum titulo "Observations philologiques et archeologiques sur les noms des vases Grecs", contendit, rem etiam post Panofkæ opus eodem loco substitisse. Etenim ille centum et sex Græcis nominibus productis, quæ ex Athenæo fere omnia sumpsit, suam cuique nomini formam tribuit tanta temeritate, ut fere miremur, si uno et altero loco forte fortuna verum invenerit. Nihil aliud effectum est, nisi ut falsa quædam nomina pro veris usurparentur. Famam enim liber ille nactus est, habuitque Panofka secta-

torem amicum suum, cuius magnum est nomen inter archæologos, *Gerhardum*, in Annalibus Instituti Romani, vol. III, p. 221—270. Divisit is genera vasorum, imminuit aliquantum numerum nominum, mutavit etiam aliqua. Idem quum post censuram Letronnii, quam commemoravimus, eandem rem tractaret ("Berlins Antike Bildwerke" I, p. 342—370, et "Ultime ricerche sulle forme dei vasi Greci", quæ extat in Annal. Instituti Rom. vol. VIII, p. 147—159), magis etiam circumscripsit nominum numerum; ex iis tamen, quæ reliquit, maior pars vel admodum dubia, vel aperte falsa est. Etiam contra hæc scripsit *Letronnius* in Ephemer. Eruditorum 1837 Nov., Dec., 1838 Jan., seorsum excusa sub titulo "Supplement aux Observations sur les noms des vases Grecs." Et hic quidem vir egregius inutilem et vanum hunc totum laborem putat (Ephem. 1833 p. 734). Ac sane si vera est ea sententia, quam et proponit (l. l. p. 299) et interdum sequitur, hæc nomina tam vaga et parum stabilia fuisse, nullam ut certam vim iis tribuerent antiqui: si antiqui ipsi nescierunt, quid nomina significarent, ne nos quidem scire possumus. Sed mihi quidem eripi non potest, suam cuique vocabulo vim esse, nisi linguæ natura mutetur.

Præter hos scriptores *K. O. Müller* in Archæologia § 298—301 multa vere animadvertit; sed tam minutas res non ipse penitus inquisivit, aliosque sequens auctores non semper optimos elegit, ut non nulla emendanda videantur. Etiam *W. A. Becker* in "Gallo" et "Charicle" variis locis hæc attigit.

Quæ quum ita sint, nec supervacaneam operam me suscipere putabam, nec profecto inutilem. Quis est enim, qui hoc contendere audeat? Quam sæpe nova et insperata lux affulsit, unde nemo exspectaverat. Non arbitror equi-

dem, me ad finem perduxisse hanc rem, sed in futuri temporis spem laboravi, et quam ipse viam longam et inviam confecissem, eam si non munitam, at aliquanto expeditiorem ceteris relinquere cupiebam, contentus, si detectis aliorum erroribus rectiorem quærendi viam monstrare contigisset. Sed antequam nostram rationem explicamus, liceat cautiones quasdam proponere, quæ quamquam simplices et in promptu sunt, tamen non semper servatæ.

Primum usitatis nominibus utendum est, nec quia rarum aliquod nomen a grammatico aliquo ita explicatum est, ut descriptio eius convenire possit cum eo, quod in manibus est, vasculo, continuo arripiendum; imo ob id ipsum, quia rarum et insolitum vocabulum est, aspernandum: nisi forte vas ipsum non minus rarum est et insolitum.

Tum tempora accurate notanda, nec, si hæc vasa Homericæ ætatis non fuerunt, Homericis nominibus uti licet. Quum igitur viderimus (p. 15), optima et pulcherrima Attica esse, et, ut probabile est, quinti et sexti sæculi, antiqua Attica nomina eligenda sunt; verum, sicubi Attici scriptores defecerint, aliunde compensandum, ita tamen, ne ullum nomen adhibeatur, quod illa ætate aut obsoletum aut nondum in usu fuisse constet.

Imprimis cavendum est, ne quia in museis ordinandis variæ vasorum species et formæ separandæ sunt, totidem nomina antiqua desideremus, quot species sunt variæ. Nam sæpe vascula formæ satis diversæ, quia idem usus fuit, eodem nomine appellata sunt, nec Græci aliter hoc fecerunt, atque nos. Omnino tam infinita est formarum varietas, ut qui eandem nominum varietatem velit, is imitari Sinenses videatur verborum multitudini litterarum multitudinem æquantes. Hoc si volumus, præstat nova nomina fingere, quam antiquis temere arreptis falsam vim tribuere.

Patet igitur, in hac quæstione a nominibus proficiscendum esse, non a rebus. Sunt enim hæc duo coniungenda, ex altera parte nomina et eorum vis, a scriptoribus antiquis petenda, ex altera vasa et eorum usus ex ipsis vasis intelligendus. Namque hæc quam ad rem apta videantur, ad eam facta esse concludimus. Sed quoniam non semper idem antiqui in hac re secuti sunt atque nos, alia necesse est accedant, ut certum sit iudicium nostrum. Suppeditant autem monumenta ipsa imagines. Nam opera sculpta et picta, imprimis ipsa vasa exhibent sæpe homines his vasis utentes, velut ex cratera haurientes, ex cantharo bibentes, ex patera libantes, et quæ sunt similia.

Quemadmodum si cuius nominis vis ignoratur, etiam forma vasis eo nomine appellati ignoratur, ita cuius vasis usum nescimus, eius ne nomen quidem constituere possumus. Si vero nominum vim ex scriptoribus, vasorum usum ex monumentis cognita habemus, hæc coniungere licet. Ita si ubique singula nomina et singulæ formæ essent vasorum generibus, confecta res esset. Sed plerumque, ut in poculis, plura extant nomina similis significationis, plures vasorum species similis usus, ut, si de singulis sit iudicandum, alia accedant necesse sit, aut a scriptoribus diserta formæ descriptio, aut in vasis inscriptum nomen ipsum. Hoc fallere non potest, sed duo solum tam raræ felicitatis exempla sunt; nam in ampulla quadam legitur *Διονυσίου ἁ λάκυθος,* in calice *Κηφισοφῶντος ἡ κύλιξ.* Illae scriptorum descriptiones et ipsae rarae sunt, et si quando inveniuntur, inveniuntur plerumque apud grammaticos exiguæ fidei, semper fere ambiguae et parum accuratae. Quare permulta in hac re incerta sunt. Imprimis autem hoc agendum, ut accurate perpensis testimoniis, remotis quæ nihil probent, collectis et compositis quæ ad rem perti-

neant, clare appareat, quid in quaque re sit certum, quid incertum. Hic quum maximi momenti est videre, quanta cuique antiquorum scriptorum fides tribuenda sit, de horum fontium natura breviter dicendum est.

Primo loco nominandi sunt ii scriptores, qui vasa, non docent, quae fuerint, sed in ipso vitae usu commemorant; incorrupti illi minimeque fallaces testes, modo semper clara voce loquerentur. Horum longe praestantissimus est *Aristophanes*. Secundum locum obtinent fragmenta comicorum apud Athenaeum. Reliqui scriptores Attici vix singula suppeditant. Maioris momenti est Hippolochi epistola de Carani nuptiis apud Athen. IV, p. 128 sqq. et Callixini descriptio pompae Ptolemaei Philadelphi apud eundem V, p. 196 sqq. Ne posteriores quidem spernendi, maxime Latini, qui cum Graeco cultu etiam Graeca nomina susceperunt.

Secundus fons est grammaticorum, tam puritate inferior, quam aditu facilior, ut hic summa cautio adhibenda sit. Prima autem cautio haec est, ne omnes grammatici uno loco habeantur.

Princeps omnium est *Julius Pollux*, magister Commodi Imperatoris; qui Onomasticon composuit uberrimi fructus, vir nec mediocris doctrinae et sani iudicii, qui quamvis districtus aliis negotiis (v. praef. libr. VIII) non parvam tamen huic operi curam impendit; nam probe viderat, critici esse, sibi ipsum credere, nec in aliorum verba temere iurare, vel, ut ipsius utar verbis ex praefatione libri septimi, oportere *ἀκρίβειάν τινα ἐπὶ τῆς ψυχῆς ἔχειν εἰς βασάνου κρίσιν. Τοῦδε εἵνεκεν*, inquit, *οὐδὲ συνεργὸν ἐδυνάμην ἐπ᾽ αὐτὰ παραλαβεῖν οὐδένα· οὔτε γὰρ εἶχον ὅτῳ πιστεύσαιμι ἐοικότι, καὶ ἔδει πάντως ἑκάστῳ προσεῖναι τὸ ἐμοὶ δοκοῦν.* Pertinent ad nostram rem quum

alii eius loci, tum maxime decimus liber, qui totus est *περὶ σκευῶν*. Quum enim in Eratosthenis *σκευογραφικῷ* non invenisset quæ sperasset, se ipsum tale opus composuisse ait in præf. libr. X. Hunc præcipue ducem sequendum esse, iam Avellinus viderat, cuius verba Panofka suo libro præscripsit, quorum utinam memor fuisset, nec semper Hesychio et Athenæo plus tribuisset. Pollux enim quamvis non omnia suppeditet, quæ desideramus, quamvis non formas, sed genera vasorum indicet, ea tamen est fide, ut sine magna causa ab eo digredi non liceat.

Sequitur *Athenæus* Naucratita, qui ineunte tertio sæculo *Δειπνοσοφιστῶν* libros conscripsit, opus propter innumerabilia fere fragmenta antiquorum scriptorum, maxime comicorum poëtarum, pretiosissimum; quamquam auctor operis doctrina magis quam iudicio valuit. Libro XI agit *περὶ ἐκπωμάτων*, sed ita augendi numeri studiosus, ut multa congerat, quæ minime pocula sunt. Quare caute admodum in Athenæo agendum est, nec quidquam continuo pro vero habendum, quia Athenæus dixerit.

Magnum fructum præbent commentarii antiqui, imprimis *Scholia in Aristophanem*. Multo inferiores sunt ceteri grammatici, Hesychius, Photius, Etymologicum Magnum, Suidas, alii, qui quum antiquorum scriptorum libri indies rariores fierent, nihil fere aliud fecerunt, nisi ut priores grammaticos exscriberent. Itaque cavendum est, ne, ubi unius verba per omnes propagata inveniuntur, pro multis testimoniis habeatur, quod unum est. Raro novi aliquid afferunt, Suidas sæpius quam ceteri.

Ne Latini quidem grammatici nullum afferunt fructum, maxime Varro libro V, § 118—127; tum Festus, Nonius p. 543—48, Macrobius, qui Athenæum exscripsit lib. V, 21, Isidorus etiam in Originum libro XX.

§ 5.

Divisio.

Habet omnis divisio non notionum, sed rerum permagnas difficultates. Nam videtur rerum natura quasi unum et individuum corpus, quod in partes secari se non patiatur; ita permixta sunt rerum genera, ita confusi ordines, ut quocunque modo duxerimus quasi cardines et decumanos nostros, non possimus non similia disiungere, cognata separare, ut sæpe non dividere, sed frangere videamur. Est tamen dividendum, ne temere et sine lege vagemur, sed certa quadam via progrediamur. Quem vero auctorem sequamur potius, quam Deum ipsum Bacchum vel Athenienses Deum celebrantes? Agebant enim Athenienses quotannis Anthesteria per tres dies, quorum primus erat *Πιθοιγία*, alter *Χόες*, tertius *Χύτροι*. Nec nos habemus, qua potius ratione utamur, quam ut secernamus vasa quæ habent, quæ dant, quæ accipiunt, sive ea ex quibus, ea quibus, ea in quæ hauritur. Licet tamen etiam quartum genus facere inter primum et tertium quasi medium, eorum vasorum, in quibus temperantur et coquuntur liquores; cui novo generi a Bacchanalibus deficientes etiam ollas adscripsimus.

Sint igitur hæc genera.*)

Caput 1.

Vasa in quibus servantur liquores.

§ 1. Maiora, quibus liquores aut sub terra et in cellis

*) Versatur hæc disputatio præcipue in vasis cibariorum et potionum. Aquæ tamen et olei vasa, quia sæpe iisdem nominibus appellantur, necessario assumenda erant. Quæ vero e culina nunquam exierunt, utpote nimis obscura, omisi.

condebantur, aut ad alia loca portabantur, sive usus causa, sive mercaturæ: dolia, cadi, amphoræ, urnæ, lagenæ. (*Πίθος, πιθάκνη, στάμνος, βῖκος, ὕρχη, λάγυνος, πυτίνη, ἀσκός, ἀμφορεύς, κάδος, ὑδρία, κάλπις, κρωσσός*).

§ 2. Minora, quæ ad suos quisque usus secum habebant, vel (A) vini, vel (B) olei vascula: rhytia, ampullæ, alabastri. (A. *Κώθων, ῥυτόν, βῆσα, βομβυλιός,* B. *Λήκυθος, ὄλπη, ἀλάβαστρος.*)

Caput 2.

Vasa in quibus temperantur et coquuntur liquores.

§ 1. Vasa in quibus temperatur vinum: crateræ. (*Κρατήρ, ψυκτήρ, δῖνος.*)

§ 2. Vasa in quibus calefiunt et coquuntur liquores: lebetes, ollæ. (*Λέβης, χύτρα, θερμαντήρ.*)

§ 3. Hæc genera quoniam sæpe non suo pede insistunt, commemoranda sunt etiam ea, quibus imponuntur: tripodes, lasana. (*Ὑποκρατήριον, ἐπίστατον, τρίπους, χυτρόπους, λάσανον.*)

Caput 3.

Vasa quibus funduntur et dividuntur liquores.

§ 1. Maiora, quæ pluribus fusionibus suppetunt: urcei, gutti, epichyses. (*Χοῦς, οἰνοχόη, πρόχους, ἐπίχυσις.*)

§ 2. Minora, quibus sæpius in idem vas funditur: truæ, trullæ, simpula, cyathi. (*Ἀρύταινα, ἀρύβαλλος, ἀρύστιχος, ἔφηβος, ἐμβασικοίτας, κοτύλη, κύαθος.*)

Caput 4.

Vasa quæ recipiunt et sustinent liquores aut cibaria ad ipsum utendi tempus.

§ 1. Aquæ vasa: labra, alvei, pelves. (*Λουτήριον,*

ἀσάμινθος, πύελος, σκάφη, σκάφιον, λεκάνη, ποδανιπτήρ, χέρνιβον, ὁλκαῖον, περιῤῥαντήριον.)

§ 2. Vini vasa: pocula, scyphi, calices, pateræ. (Δέπας, ἄλεισον, κισσύβιον, κύπελλον, ἀμφικύπελλον, κυμβίον, σκύφος, κάνθαρος, καρχήσιον, κύλιξ, huius genera, ut Θηρίκλειος, φιάλη, λεπαστή, κέρας.)

§ 3. Cibariorum vasa: canistra, lances, patellæ, catilli, paropsides. (Κανοῦν, πίναξ, μαζόνομον, δίσκος, πάροψις, τρυβλίον, ὀξύβαφον, ὀξίς, ἡδυσματοθήκη.)

Caput primum.

De vasis quibus servantur liquores.

§ 1.

Si quærimus, quibus vasis vinum servatum fuerit, audiamus primum Pollucem in libr. VI, 14. *Ἵνα δὲ ὁ οἶνος· λάγυνος, πυτίνη, ἀσκός, κρατήρ, προχοΐδιον, κάδος, καδίσκος, κρωσσὸς, βῖκος, κράδισος* (?), *ὡς Ξενοφῶν, κεράμιον, ἀμφορεύς, ἀμφορίσκος, σταμνίον, ἀγγεῖον οἰνοφόρον, ὑελοῦν, κεράμου πεποιημένον, πίθος ἢ πιθάκνη.* Addit etiam *ὕρχας.* Lib. X, 60 sqq. fere nihil novi suppeditat. Vini vasa enumerat, sed, ut in singulis videbimus, eadem etiam alios liquores continebant.

1. *Πίθος*

sive *dolium* quum alias res continebat (ut *πίθος σύκων* in fragmento Babrii apud Suidam, frumentaria et amurcaria dolia Varronis et Catonis, et Homeri duo dolia diversorum donorum in domo Jovis, v. Il. *ω,* 527), tum maxime vinum. Nam expressum torculari (*ληνῷ*) vinum in dolia fundebatur, quæ pice oblita (*πεπιττωμένα*), imposito operculo (v. Poll. X, 188; *κιθῶνα* dicit Hesychius sub hoc voc.), aut in terra deponebantur, aut in cella vinaria (*πιθῶνι*), substrata arena, et iuncis terraque aggestis (v. Geoponic. VI, 2, 4).

In doliis primum magnitudo animadvertenda, quam et proverbia quædam demonstrant, ut qui ex magna copia sumunt, de dolio haurire dicuntur (Theocr. 10, 13 ἐκ πίθω ἀντλεῖς δῆλον, ἐγὼ δ' ἔχω οὐδ' ἅλις ὄξος), et qui nimius vini amator erat, πίθος dicebatur (Poll. VI, 43), et magis etiam probant quæ ab antiquis narrantur. Notum est, Diogenem cynicum in dolio habitasse narrari (v. Suid. ζωὴ πίθου et Eustath. ad Il. ω, 526); Athenienses autem, quum urgente bello Peloponnesio in urbem conferti domiciliis carerent (Thucyd. II, 17), in doliis etiam habitasse dicit Aristophanes (Equit. 792 ἐν φιδάκναις). Tum in fabulis traditum erat (v. Apollod. II, 5, 1), Eurystheum, quum ei Hercules aprum Erymanthium afferret, timentem in dolio se abdidisse. Neque aliter intelligendum, quod legitur in Il. ε, 385 sqq., Aloides per tredecim menses Martem vinctum tenuisse Χαλκέῳ ἐν κεράμῳ i. e. in dolio, ut recte animadvertit Letronnius (Eph. Er. 1833 p. 407.), in eo tantum errans, quod vere aeneum dolium putavit, quum adiectivem χάλκεος tantummodo firmitudinem indicet, ut ubi rupes χάλκεον τεῖχος dicitur (Od. κ. 4.), ubi cor aeneum vocatur et similia. Quod autem vulgo Homeri verba de carcere ædificato intelligunt (etiam Müller Archæol. § 48, 3), κέραμος ædificium significare non potest. Debetur ista interpretatio grammaticis quibusdam, qui a poetico sensu alieni omnia ad verisimilitudinis normam exigerent. Hoc vero non verisimilitudini repugnat, sed magnifice et fortiter fictum est. Ac ne quis putet, hæc verba tantum esse, nec ita intellecta, ut sint dicta, de veris doliis agi, apertissime ostendunt imagines antiquæ, ubi Eurystheus conspicitur in dolio delitescens (v. Müller Arch. § 410 not. 4). Conspicitur Diogenes in dolio cum Alexandro colloquens in anaglypho Romano ap.

Zoëgam tab. 30. Nec desunt aliæ doliorum imagines; nam extat Hercules Centaurorum dolium aperiens (v. Apollodor. II, 5, 4) in vasis pictus (v. Stackelb. Gräber d. Hell. 41.; Panofka Recherches tab. VI, 1), et Danaides in perforatum dolium (εἰς πίθον τετρημένον) haurientes sculptæ in Mus. PCl. IV, 36., pictæ in vase Musei Blacas, tab. 9.

Ab his imaginibus non abhorrent, quæ de forma τοῦ πίθου ab antiquis scriptoribus accipimus. Nam pede caruisse constat, quia πίθου πόδες proverbium erat de iis, quæ non erant (v. schol. Ar. Av. 798). Jam Eustathius ad Il. ω. p. 1363, 36. tradit, antiquiora et Homerica dolia πρὸς ὁμοιότητά τινα σφαιρώσεως ficta esse, quum postea magis probarentur acutiora et omnino minora, quod docemur a scriptore Geoponicon VI, 3, cuius verba quædam adscribam. Καλλίους οἱ πίθοι τῶν εἰς γαστέρα ἐξωγκωμένων οἱ μακρότεροι, καὶ μάλιστα τὰ στόματα ἀνεωγμένα ἔχοντες. Τὰ δὲ χείλη τῶν πίθων ποιητέον ἔξω ἐπινεύοντα, ἵνα ὅταν τῇ τέφρᾳ ἐπιχρίωμεν αὐτοὺς, μὴ ἐμπίπτῃ τι εἰς τὸν πίθον ἀνοιξάντων ἡμῶν, ἀλλ' ἐκκυλίηται ἔξω.

Quoniam dolium maius erat, quam ut rota fieri posset, compactis lignis quibusdam (κάναβον dicit Pollux VII, 164) terra circumlinebatur; opus et magnum et difficile, unde in eos, qui neglectis primis doctrinæ elementis, continuo difficillima quæque aggrederentur, proverbium dicebatur ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνειν (v. Poll. VII, 163, alii).

Species πίθου ab antiquis non abhorrentes exhibet Panofka Rech. I, 1 & II, 2, quamquam posterioris os iusto angustius videtur.

2. *Πιθάκνη.*

Diminutiva vocabuli, quod est *πίθος*, sunt *πιθάριον*, *πίθιον*, *πιθίσκος*. Addunt etiam *πιθάκνην*, quæ a Lacedæmoniis dicebatur *πισάκνη*, ab Atheniensibus *φιδάκνη*, aspirata littera p; cuius mutationis, apud Athenienses non insolitæ, Lobeckius ad Phrynichum p. 113 citat hæc exempla: *ἀσφάραγος*, *λισφός*, *σφυρίς*, *σφονδύλη*, *σφόγγος*. Sed diminutiva vis ab hoc vocabulo prorsus remota est. Nam Hesychium, *φιδάκνην* interpretantem *πιθάριον μικρόν*, *στενόν*, non curamus, qui ex Aristophane acceperimus, Athenienses *ἐν φιδάκναις* habitasse (Equit. v. 792), et apud Demosthenem legerimus, Onetorem omnia abstulisse rustica vasa *πλὴν τῶν πιθακνῶν· ἃ δ᾽ οὐχ οἷόν τ᾽ ἦν ἀνελεῖν, ἐξ ἀνάγκης ὑπέλιπεν* (in Onet. 1, § 28). Fuerunt igitur *πιθάκναι* non minores quam *πίθοι*, neque nominis forma diminutiva est. Nam satis raro invenitur hic nominum exitus; nec alia mihi subveniunt exempla, nisi *ἀράχνη*, tum *πολίχνη* et *κυλίχνη*: horum autem in nullo certa apparet diminutiva significatio; potius similitudo indicatur, ut *πιθάκνη* sit vas ex genere doliorum. Quamquam hoc non admodum tenuit Panofka in constituenda forma eius, Rech. III, 3.

Extat hoc vocabulum præter citatos locos apud Aristophanem in Pluto v. 546, ubi pro mactra habent *φιδάκνης πλευρὰν ἐρρωγυῖαν καὶ ταύτην*, in fragmento Ionis Chii ap. Ath. XI, 495, b: *ἐκ ζαθέων πιθακνῶν ἀφύσσοντες ὄλπαις οἶνον*, tum Eubulus ap. Ath. I, 28, c. inter bona singulorum locorum propria ponit *Μεγαρικὰ πιθάκνια*. Novimus, fictilia vasa fuisse, quod docet Pollux VII, 162 et Polemo ap. Ath. 483, c, qui tradit, Lacones in solemnibus Deorum religionis causa poculis usos esse fictilibus,

quum in ceteris conviviis tantummodo doliis fictilibus uterentur.

3. Στάμνος.

A doliis, quorum maximus est ambitus, transimus ad minora vasa, quæ magis habilia sunt ad vitæ usus et facilius portari possunt. Inter quæ primum commemoremus *στάμνους* sive *σταμνία*, quorum usus inde ab Atticis scriptoribus per omnes ætates frequens est quum ad alias res condendas, ut oleum (v. Hesych. v. *σταμνοῦροι*), tum ad vinum (v. Aristoph. Lys. 196 sqq. et ap. Poll. X, 72; Demosth. Lacrit. 32; frr. Ephippi, Hermippi, Menandri, Platonis comici ap. Ath. I, 29, d, e; IV, 146, e; XI, 783, d). Inde ductum quod ap. Arist. Ran. 22 dicitur *Διόνυσος υἱὸς Σταμνίου*.

De forma nihil constat, nisi quod ansas plerumque afuisse concludi potest ex Hesych.: *βῖκος· στάμνος ὦτα ἔχων*, et Etymolog. M.: *ἀμφορεύς· τὸ ἑκατέρωθεν δίωτον σταμνίον*. Sed ne hoc quidem tenendum putarunt in constituenda forma Pan. III, 23 et Gerhard. Rapport. Volc. (quo pertinent tabulæ ex Mon. Ined. I, 26 et 27) n. 28 et Ultime Ricerche (Annal. Instituti vol. VIII, tab. C) nn. 16 & 17. Istud vas longe alius generis est, pertinetque ad secundum nostrum caput.

4. Βῖκος

non ut *στάμνος* etiam posteriore tempore in usu erat, quare grammatici quidam in definienda vocabuli vi graviter erraverunt. Nam ex Polluce Pariano tradit Athenæus XI, 784, d, esse *φιαλῶδες ποτήριον*, et grammatici ap. Bekkerum (Anecd. 226, 16) etiam alia coniectant. Veriora tradit Hesychius loco supra laudato et Eustath. ad Il. σ, 1163, 23, esse *οἰνοδόχον ἀγγεῖον*, et ad Od. β, 1445, 49, videri

similem lageuæ. Consentiunt enim antiqui scriptores, ut Herodot. I, 194: *βίκους φοινικηΐου οἴνου πλέους,* Xenoph. An. I, 9, 25: *β. οἴνου ἡμιδεεῖς,* Ephip. ap. Ath. I, 29, d: *φοινικίνου βῖκός τις ὑπανεώγνυτο.* In Ptolemæi pompa portati sunt *ληνοὶ βίκους* continentes, v. Ath. V, 199, c & e. Nec vini tantum vas fuit, sed etiam ficuum (Luc. Mer. dial. 14) et salsamentorum (Ath. III, 116, f, Eustath. ad Il. *σ,* 1163, 25).

De forma nihil novimus præter Hesychii verba: *βῖκος· στάμνος ὦτα ἔχων.* Panofka, his verbis sine ulla causa tentatis, crateram quandam bicum dicit I, 25.

5. Ὕρχη

sive *orca* eundem habuit usum. Pollux VI, 14 ait esse *προσεοικὸς τῷ βίκῳ κεράμιον,* et Æolicum esse nomen. Videmus etiam, ex illis terris Athenas afferri in orcis varias res (v. Ar. Vesp. 676, et Schol. ad h. l.; Plin. H. N. XV, 21, 82: "in Asia"; Horat. Sat. II, 4, 66: "Byzantia orca"). Traditur *ὕρχη* etiam iugum significasse, credo propter portandi usum. Posterioris usus esse videtur, quod Schol. Lucan. V, 394 orcam dicit urnam unde sortes ducuntur. Quod autem Festus s. v. tradit, orcam esse "genus marinæ beluæ maximum, ad cuius similitudinem vasa ficaria dicuntur; sunt teretes et uniformi specie", videntur potius pisces a vasis similitudine nomen accepisse.

Ad formam orcæ constituendam præter hanc similitudinem habemus scholiastæ supra laudati verba: *κεράμινα ἀγγεῖα δύο ὦτα ἔχοντα.* Etiam Isidoro XX, 6 est "amphoræ species". Angustum collum habuisse, efficitur ex Pers. 3, 50: angustæ collo non fallier orcæ, v. ad hunc locum Jahn et Schol. — Panofka III, 26 *ὕρχην* se ostendere putat.

6. Λάγυνος

s. λάγηνος, Latinis *lagena* sive *lagona*, si paulo minor prioribus, at eiusdem fuit usus. Vid. imprimis Athenæus XI, 499, b, sqq. Ibi legimus, apud Patrenses mensuram fuisse duodecim heminarum. Nicostratus lagenam commemorat triplo maiorem: A. *Τῶν κατεσταμνισμένων* (i. e. vino impletarum) *ἡμῖν λαγύνων πηλίκοι τινές;* B. *Τρίχους*. Vocabulum non valde antiquum, nec nos ante mediæ comoediæ ætatem invenimus, postea vulgatissimi usus est, mutato etiam more; cuius mutationis initium legimus ap. Ath. l. l., ubi Lynceus Samius novum morem commemorat a se esse usurpatum, ut sua cuique convivæ lagena apponeretur.

De materia non dubitamus, quin testacea fuerit, quamquam deest in enumeratione fictilium apud Pollucem VII, 162. Itaque intelligendum videtur quod legitur apud Petronium c. 22: "servos de lagena rixantes diductam fregisse", aut ansis, aut collo et corpore utrinque prehensis. Tamen etiam nexas ex filis arborum commemorat Plin. H. N. XVI, S. 56, § 128.

De forma nihil novimus, nisi collum habuisse (v. Plin. XXVIII, 48, 174; Suid. s. v.). Panofkæ hoc satis fuit, cur parvam quandam ampullam hoc nomine designaret V, 100.

7. Πυτίνη

lagena est ex viminibus plexa; *πλέγμα* et *θάλλινον ἀγγεῖον* interpretatur Schol. ad Ar. Av. 798, ubi ridet poëta Diitrephum quendam talium vasorum opificem (*πυτινοπλόκον*), dicens, eum sublimem evectum esse, quamvis nullas alas haberet præter *πυτιναῖα πτερά*, quæ scholiasta prodit esse lora e collo utrinque dependentia. Putabat H.

Stephanus, πυτίνην fuisse vitream lagenam vimineo πλέγματι obductam, id quod cum illorum temporum simplicitate non convenit; sine dubio fictilis fuit involucro vimineo firmata; nam quod putat Schweighäuserus ad Athenæum vol. VII, p. 135, ex solis viminibus esse factam, quomodo in tali vase vinum servari potuerit, non intelligo.

8. Ἀσκός

primum significat pellem detractam, deinde *utrem*. Utres maxime proficiscentibus apti. Quare Calypso Ulixi duos dat utres, alterum vini, alterum aquæ (Od. ε, 265). Cf. Od. ζ, 78; ι, 196; Ar. Acharn. 549. Insimulabantur etiam vinosæ mulieres utres secum habere, quum solemnia celebrarent (v. Ar. Eccl. 306; Thesm. 733). Præcipue vero bacchantibus in usu erant; et in Ptolemæi pompa legimus curru vectum esse ingentem utrem ex pantherum pellibus consutum tria millia metretarum capientem (Ath. V, 199, a). Notus est in Bacchanalibus ludus ἀσκωλιασμός, ubi altero pede in utribus saltabant (v. Plat. Symp. 190, D; Virg. Georg. II, 283; Schol. Ar. Plut. 1129 et Ach. 1002; Hesych. s. v.; alii), utre præmio victoriæ, sive saltandi sive bibendi certamen erat (v. Ar. Ach. 1002, 1025 sqq.).

Permultæ imagines antiquorum utres nobis repræsentant, et statuæ aeneæ (v. Kaiser Herculanum u. Pompeii V, tabb. 65 & 98), et marmora gemmaeque (v. Mus. PCl. IV, 28; Panofk. Rech. VI, 10), et picti parietes et vascula (v. Kaiser Hercul. II, 132; Gerhard Auserlesene Vasenbilder I, tabb. 38, 55, 77).

Sponte sequitur, utrem necessario ex corio fuisse, et quarum rerum vocabula cum ἀσκῷ composita sunt, eæ indicantur esse scorteae, ut ἀσκοθύλακος, ἀσκοπυτίνη. Si ulteriore argumento opus sit, inspiciatur Schol.

Ar. Nub. 1237, ubi *ἀσκός* opponitur et *κεράμῳ* et *χάλκῳ*. Quod autem ap. Hesychium legitur: *ἀσκός· ὑδρεία*, in eo sane nihil inest, nisi grammaticorum ritu tractata Homeri illa ex Od. *ε*, 266: *ἕτερον δ' ὕδατος*. Nihilo minus quum epichysin quandam oleariam propter aliquam similitudinem utris "vaso a otre" appellassent Itali homines, eandem *ἀσκόν* appellarunt Pan. II, 43 et Gerh. Ult. Ric. nn. 40 et 41. Panofka etiam simile vas vocavit *ἐπάσκιον*, n. 44, quia Hesychius hoc apud Siculos infundibuli nomen fuisse dicit. Sed hæc satis refutavit Letronnius in Ephemer. Erudit. 1833, p. 684 not., et 1837, p. 749.

9. *Οἰνοφόρος*

proprie adiectivum est significans quod vinum portat aut continet, ut legimus in fr. Critiæ ap. Ath. X, 432, d: *οἰνοφόρον κύλικα*, i. e. vini poculum. Adiectivum est etiam ap. Polluc. VI, 14, et Herodian. VIII, 4, 4, qui tradit, Maximum, quum Aquileias oppugnaret, nec haberet, quo pontem faceret, peropportune in agro invenisse *πολλὰ κενὰ οἰνοφόρα σκεύη περιφεροῦς ξύλου*. Sed ponitur hæc vox etiam substantive et est nomen certi vasis, quo in itineribus usos videmus ap. Horat. Sat. I, 6, 109 et Pers. 5, 140. Ex Lucilii versu ap. Non. p. 173, s. v. sententia, et Isidor. XX, 6: "Vertitur oenophori fundus, sententia nobis," apparet, vas vini fuisse, non, ut vulgo interpretantur, cistam vel corbem quo vini amphoræ portarentur.

10. *Ἀμφορεύς*,

quam Latini *amphoram* dixerunt, Homerus *ἀμφιφορέα*, vulgatissimi usus erat ad liquores condendos et portandos, sæpissime vinum et oleum, etiam mel (Cic. Verr. II,

74, 183; Hom. Il. ψ, 170: *μέλιτος καὶ ἀλείφατος ἀμφιφο-ρῆας*), muriam (Martial. XIII, 103), alia. Videmus apud Homerum, Telemachum ex Ithaca, Ulixem ex Ciconibus proficiscentes iubere *οἶνον ἐν ἀμφιφορεῦσιν ἀφύσσειν* (Od. β, 290, 349, 379; ι, 164, 204). Etiam apud Aristophanem frequens usus; v. Plut. 808; Eccl. 1119; Nub. 1203: *ἀμ-φορῆς νενησμένοι*; Pac. 202, ubi Mercurius Deorum supellectilem enumerat: *χυτρίδια καὶ σανίδια κἀμφορείδια*. Posteriora tempora rariora præbent exempla, nec tamen dubitamus, quin in usu permanserit hæc vox, maxime propter Latinos scriptores.

Novimus, amphoram mensuræ nomen fuisse, et octo congios cepisse, quamquam qui amphoras fabricabantur, nullo modo hanc magnitudinem constanter servabant. Fiebant fere semper ex argilla; quamquam non desunt exempla pretiosioris materiæ. Auream videmus ap. Hom. Il. ψ, 92; aeneas ap. Schol. ad Pind. Nem. X, 67. Lapideæ aliæ, ut onychinæ ap. Plin. XXXVI, S. 12, § 59; nec paucæ ad nos pervenerunt, v. Ancient Marbles of the British Museum Vol. IX, tab. 42.

Formam amphoræ nomen ipsum indicat, et recte explicatur ab Athenæo (XI, 501, a) aliisque *ἀμφιφορεύς ὁ ἑκατέρωθεν κατὰ τὰ ὦτα δυνάμενος φέρεσθαι*. Pictæ conspiciuntur et in vasculis (ut Stackelb. Gräber d. Hellenen tab. 25) et in parietibus (v. Kaiser. H. u. P. II, 126 et IV, 22, ubi navicula est amphorarum plena, *νενησ-μένων*, ut ait Aristoph. l. l. Vulgatissimum hoc est amphorarum genus, infra in acutum desinens (v. Pan. I, 5), quod aut in terram defodiendum erat, aut si ad conviviorum usum adhibebatur, tripodi imponendum (v. Müller Denkm. I, n. 5). Tales persæpe sub terra inveniuntur, vel ex rudi argilla, vel ut diximus ex lapide factæ.

Pictæ amphoræ, quæ suum pedem habent, postea commemorabuntur.

11. Κάδος.

Cadi nomen ad eandem stirpem referendum est ac verbum χανδάνω, i. e. capio, ut proprie sit vas, quod capiat sive recipiat aliquid. Et facile credo, vim huius vocabuli satis late patuisse. Clitarchus quidem ap. Athenæum XI, 473, b. auctor est, Iones τὸ κεράμιον appellasse κάδον. Κεράμια autem sive testæ quum possint vocari omnia ex argilla facta, tum vulgo ea tantum vasa dicuntur quibus *servantur* liquores. Hunc cadorum usum videmus ap. Herodotum III, 20: οἴνου φοινικηΐου κάδον, in Archilochi fr. ap. Ath. XI, 483, d: κοίλων πώματ' ἄφελκε κάδων; imprimis apud Latinos scriptores, Horatium, Martialem, Plinium commemorantur cadi quum aliarum rerum, tum vini, et Chii (Hor. Od. III, 19, 5; Plin. XXXVI, 12, 59; Athen. XI, 473, a) et aliorum, ut Albani, Tusci. Videmus cadorum usum ab amphoris non semotum; mensuram quoque eandem indicasse accipimus; nam Philochorus ap. Poll. X, 71 παρὰ τοῖς παλαιοῖς, tradit, τὸν ἀμφορέα καλεῖσθαι κάδον καὶ τὸ ἡμιαμφόριον ἡμικάδιον, quicum consentit Priscianus de Pond. et Mens. 85: "Attica præterea dicenda est amphora nobis, seu cadus." Nec tamen ideo cadus et amphora prorsus eadem fuisse statuenda sunt; nam commemoratur etiam alius multiplex cadorum usus.

Primum amphoræ maxime vinum in cellis conditum servabant, cadi plerumque in conviviis adhibebantur. Nec tamen non magno opere miramur stuporem Simmiæ grammatici, quem temere sequitur Athenæus XI, 472, e, sqq., dicentis, cadum esse ποτήριον, qui non viderit, singularem et ridiculam indicari intemperantiam vel quum

Anacreon dicat, se ebibisse vini cadum, vel quum Hedylus rideat hominem cadis bibentem quattuor congios capientibus, intemperantiam eiusdemmodi, quam notat Solon Alexidis ap. Ath. X, 431, f: *λουτρόν ἐστιν, οὐ πότος, ψυκτῆρι πίνειν καὶ κάδοις.* Videmus, ex his locis prorsus contrarium sequi, cadum non esse poculum, quæ etiam diserte sibi opponuntur ap. Ath. XI, 503, c. Cadi maiores fuerunt, ut in fr. Phidippidis ap. Ath. 781, f, legimus: *κρατῆρες ἀργυροῖ, κάδοι μείζους ἐμοῦ.* Cf. Phylarch. ap. Ath. IV, 142, d; Antiphan. XI, 503, b; Epigen. ibid. 472, e. Audiamus etiam Antiphanem 500, f. enumerantem divitias:

Κεκτημένῳ τάλαντα, παῖδας, ἐπιτρόπους,
ζεύγη, καμήλους, στρώματ', ἀργυρώματα,
φιάλας, τριήρεις, τραγελάφους, καρχήσια,
γαυλοὺς ὁλοχρύσους. B. Πλοῖα; A. Τοὺς κάδους μὲν οὖν
καλοῦσι γαυλοὺς πάντες οἱ προγάστορες. *)

Ex hoc et ceteris, quos citavimus, locis, patet etiam cados, ut reliquum convivii apparatum, vulgo non ex vili argilla factos esse, sed aeneos, argenteos, aureos; ex albo lapide ophite commemorat Plin. XXXVI, 43, 158. — Etiam minores cados, *καδίσκους,* ad symposia pertinuisse, efficitur ex Cratini loco ap. Ath. 494, c. Cf. 473, b, c.

Sed erat ὁ *κάδος* Græcis etiam *situla* ad aquam ex puteo tollendam; v. Aristoph. Eccl. 1002:

---

*) Ita enim personæ distribuendæ sunt: miratur alter naves aureas, sed docetur ab altero, vasa esse a nepotibus ita appellata. Hi tamen in hoc nomine non navis similitudinem secuti videntur, sed aut mulctræ, utpote vinum lactis instar potantes, aut sitellæ, quæ et *κάδος* et *γαυλός* dicebatur, ut Suidas: *Γαυλός· ὁ τοῦ φρέατος ἀντλητήρ, ἢ οἰνηρὸν ἀγγεῖον ἐκ ξύλων κατεσκευασμένον.*

Τί δῆτα κρεάγρας τοῖς κάδοις ὠνοίμεθ' ἄν,
ἐξὸν καθέντα γρᾴδιον τοιουτονὶ
ἐκ τῶν φρεάτων τοὺς κάδους ξυλλαμβάνειν.

Cf. Apollodor. ap. Ath. III, 125, a, et Schol. ad Eur. Cycl. 33. Ac proprium hoc situlæ nomen fuisse, inde efficitur, quod Pollux X, 31 in enumerandis, quæ ad puteum pertinent, nullum aliud nominat vas. Cf. Hesych.: *Ὑπαντλεῖα· χαλκᾶ ἀγγεῖα, κάδοι.* Hunc videtur usum significare Ar. Pac. 1202 commemorans, vendi *κάδους εἰς τοὺς ἀγρους.*

Κάδος et *καδίσκος* dicitur sitella iudicum, de qua post videbimus.

Si vero formam cadi quærimus, videntur ei plerumque duæ ansæ fuisse. *Δίωτος καδίσκος* est apud Ath. 473, c, *ἀμφορικὸς κάδος* ap. Schol. Ar. Av. 1032. In Pace Aristophanis 1258 Trygæus galearum venditori suadet, ut ansis appositis cadum ex galea faciat:

ἐὰν τοιαυτασὶ μάθῃ λαβάς ποιεῖν,
ἄμεινον ἢ νῦν αὔτ' ἀποδώσεται πολύ.

Prehendit simul aut ansas cadi alicuius, aut, ut schol. putat, aurem alterius. — Plin. XXVII, 5, 15: "in turbinibus cadorum," inquit, "aloen serunt, ut aizoum maius." Vellem, me intelligere, quos turbines diceret; fortasse inde iuvaremur aliquid in forma huius vasis constituenda, quæ sane difficillima res est. Nam quum usus ad vinum aliasque res servandas os angustius postulare videatur, neque ea forma multum abhórreat ab iis situlis, quibus hodie in illis terris utuntur ad aquam ex puteo tollendam, occurrit Platonis locus in Rep. X, 616, D: *κάδοι εἰς ἀλλήλους ἁρμόττοντες,* ubi apparet significari vasa ab ampliore oris ambitu sensim deorsnm decrescentia, quorum alterum in alterum demitti possit. Hoc ex fictilibus nostris unice

convenit iis vasis, quæ Gerhardus non sine gravi causa scyphos appellavit, quamquam maiora tantæ sunt amplitudinis, ut nunquam pocula fuisse videantur, maxime quæ ansas habent, non sursum erectas, sed prorsus ad æquoris lineam emissas, ut Pan. R. IV, 50. Diiudicent alii; ego, quales hi cadi fuerint, me ignorare fateor. — Panofka Rech. II, 13 *κάδον* appellavit illud genus in Apulia maxime inventum, quod ansam habet supra ostium porrectam; Itali dicunt "lancella con maniche sopra la bocca." Est hoc genus aptissimum quod funiculo in puteum demittatur, ut mihi quidem etiam cadi genus fuisse videatur, quamvis obloquatur Letronnius in Ephemer. 1833, p. 405.

12. *Ὑδρία,*

ut nomen ipsum docet, est urna aquaria; nec certam quandam speciem hoc nomen indicat; sed complectitur omnia vasa, quibus aquam vel ex fontibus petebant, vel per tempus aliquod servabant. Nec uno genere ad hanc rem utebantur, ut ex antiquis patet imaginibus. Videmus urnam et duabus ansis munitam, ut Cadmi in vase ap. Millingen Uned. Mon. I, 27, et sine ansis, ut in frequentibus illis Fluviorum imaginibus (v. Müller. Arch. 403), et quod pro legitimo haberi possit, una ansa (v. Passerii Mon. Etr. I, 28; Stackelbergii Gräber d. H. 16). Ad hanc unam ansam accedunt plerumque duæ auriculæ *) in medio corpore, ut illa ad vacuum vas portandum, sic hæ ad plenum tollendum aptiores. Exempla quum permulta extent, duo sufficiat nominare: Mus. Blacas tab. 9, et Gerhard.

*) Liceat enim sic appellare parvas ansas secundum horizontalem lineam appositas, plerumque sursum flexas; quamvis nemo Latinus, quod sciamus, dixerit.

Rap. Volc. n. 23; cf. Bröndsted. 32 Vases n. 27, et Luynes Vases peints tab. 41; contra quem egregium virum unum monere liceat, minus recte statui, hoc urnarum genus Amymones proprium fuisse, quum prorsus vulgare sit. Ceterum quam parvi momenti fuerit forma, clarissime ostendit sculptum opus in Mus. PCl. IV, 36, ubi Danaides spectantur ex urnis quam maxime variis aquam fundentes.

Sed ne aqualis quidem semper erat *ὑδρία*. De usu in sortitione et in funeribus mox videbimus. *Ἐλαίου ὑδρίας* dicit Schol. Pind. Nem. 10, 64. Vini vas fuisse docet Pollux X, 74, modo recte intellexerit locum, quem citat Aristophanis; clarius loquitur Iuvenalis XV, 25: "de Corcyræa temetum duxerit urna." Et in conviviis quidem adhibitas esse hydrias, sive vini fuerint sive aquæ vasa, ostendit usus in Ptolemæi pompa (ap. Ath. V, 199, d; 200, a, b) et Aristoph. Eccl. 678, ubi Praxagora postquam *τὰ δικαστήρια* triclinia fecit, *τῷ βήματι* pro mensa utitur, cui *τοὺς κρατῆρας* imponat *καὶ τοὺς ὑδρίας*. Cicero in Verr. II, 19, 47 et IV, 44, 97 commemorat hydrias artificiose factas ex argento et ære Corinthio. Utut est, satis late patuit huius nominis vis.

13. *Κάλπις* *)

prorsus eandem habet vim, id quod clarissime sequitur ex Ar. Lys. 358, 370, 400, 539, ubi *κάλπις* dicitur, quæ v. 327 *ὑδρία* est. Idem aquandi usus est in Ran. 1339: *κάλπισι δ' ἐκ ποτάμων δρόσον ἄρατα*, et Hom. Od. *η*, 20:

*) Forma posterioris temporis *κάλπη* apud antiquos significat genus quoddam equestris certaminis, v. Pausan. V, 9, 2; Plut. Alex. 6.

παρθενικῇ εἰκυῖα νεήνιδι κάλπιν ἐχούσῃ, et hymn. Cereris v. 107. Cf. votum ap. Theocrit. 5, 127: *ἁ παῖς ἀνθ᾽ ὕδατος τᾷ κάλπιδι κηρία βάψαι*. Nec minus late patuisse calpidis usum quam hydriæ, et mox videbimus in sortitione, in iudiciis, in funeribus, et in sumptuosis conviviis unguenta effunduntur *ἐκ καλπίδων χρυσῶν* et *λιθοκολλήτων* (v. Ath. V, 195, c; XII, 553, d). Sed falso arbitror grammaticum quendam nimis doctum ap. Ath. XI, 475, c, docere *κάλπιον* esse poculi genus; nec Panofkæ sententia, pigmentorum vas fuisse, antiquorum testimoniis nititur.

Callimachus in fr. 122 commemorat *κάλπιδας* in fastigiis Parthenonis, ut videtur, positas:

καὶ πάρ᾽ Ἀθηναίοις γὰρ ἐπὶ στέγος ἱερὸν ἧνται
κάλπιδες οὐ κόσμου σύμβολον, ἀλλὰ πάλης.

Quibus putant VV. DD. significari Panathenaicas amphoras.

Sortiendi causa quum Homerici heroes in galeam coniectas sortes versarent (vid. Il. *γ*, 316; *η*, 176), postea ne fraus fieret, alia ratione utebantur, ut ex urna aquæ plena exirent, vel, si quis Vopisci vocabulo uti mavult, emergerent sortes; quamquam ne sic quidem fraude abstinuit callidum Cresphontis ingenium, qui nobili illo dolo sibi Messeniam paravit (vid. Apollod. II, 8, 4; Pausan. IV, 3, 3). Erat igitur sortitionis urna vulgaris urna aquaria, hydria, ut est apud Ciceron. in Verr. II, 51, 127, et ap. Isocrat. Trapezit. 33: *Πυθόδωρον τὸν σκηνίτην καλούμενον τίς οὐκ οἶδεν ὑμῶν πέρυσιν ἀνοίξαντα τὰς ὑδρίας καὶ τοὺς κριτὰς ἐξελόντα τοὺς ἀπὸ τῆς βουλῆς εἰσβληθέντας*, ubi agitur de sortitione iudicum. Lucianus

autem in Hermotimo (§ 40 et 57) sortitionem describens *κάλπιν ἀργυρᾶν* ponit. — Si imagines quærimus, in gemma antiqua (vid. Dolce: Impronte gemmarie) spectantur Heraclidæ sortientes, et in denario gentis Cassiæ (v. Spannhemius de præstantia et usu numismatum p. 580) conspicitur sitella in sortitione iudicum usurpata. Videatur autem qui de omni hac re egregie disputavit, Wunderus in præfatione Variarum lectionum ex codice Erfurtensi, p. CLVIII —CLXVII.

In *iudiciis* vas iudicum calculos recipiens plerumque dicitur *κάδος* et *καδίσκος*, ut Ar. Av. 1030, 1053, Vesp. 321; sed in scholiis ad Ar. Vesp. vss. 321, 987, 988, 991 fere sine discrimine ponuntur *κάδος*, *καδίσκος*, *ἀμφορεύς*, *ὑδρία*, *κάλπις*. Nec tamen inde sequitur, *κάδον* et *ὑδρίαν* idem esse; potius et usum distinguere licet et tempus, ducibus Polluce VIII, 123 et schol. ad Ar. Eq. 1150. Nam *κάδοις* sive sitellis utebantur, ubi aperte ferebant sententias; id quod factum videtur in Aristoph. Vespis v. 987, docente etiam schol. ad v. 991, duas sitellas positas esse, alteram absolventium sententiarum, damnantium alteram, *τὸν καδίσκον τοῦ ἐλέου* et *τὸν τοῦ θανάτου*, *τὸν ὕστερον* et *τὸν πρότερον*. (Videatur Ross in Jahn. et Seebod. N. Archiv I, 1832, p. 350—57 et Schoemann in Indice lect. Gryphisw. 1839—40.) Sed hoc rarius factum videtur; nam plerumque, et posteriore tempore semper occulte ferebantur sententiæ iudicum. Hic tempora distinguenda. Nam prius in unam sitellam coniiciebantur calculi aut solidi aut perforati; sed ne appareret, quem quisque calculum posuisset, crates effecit, sitellæ imposita, in infundibuli similitudinem facta, *κημός* *). Postea

*) Talem esse *τὸν κημόν*, consentienter tradunt interpretes, quibus

quum ne hoc quidem satis clandestinum visum esset, duabus urnis sive amphoris utebantur, quarum altera *κυρία* erat, altera *ἄκυρος*, illa ratos, hæc irritos calculos continens, illa aenea, hæc lignea. — Imagine expressa spectatur iudicialis urna ap. Millin. Gallerie mythol. tab. 171, n. 624 sine ansis; sed amphora est in lucernis fictilibus ap. D'Hancarvill. Antiquités d'Hamilton II, ta[illegible], pag. 81.

Urnis (*ὑδρίαις*) thesauri defossi conde[illegible] (v. Arist. Av. 602; Pausan. IV, 26, 8), imprimis vero m[illegible]orum cineres. Vid. Athen. X, 413, b: *οὐκ ἐχώρησε μία ὑδρία τὰ ὀστέα, μόλις δὲ δύο;* cf. Schol. ad Soph. El. 54. Severi Septimii urnam ex alabastro factam Herodianus (III, 15, 7; IV, 1, 3) *κάλπην* dicit. Hic maxime apparet, latius patuisse huius nominis vim et pro universo vasorum genere poni. Neque enim præcipue aquæ vasa eligebant, nec symbolica quærenda est aquæ ratio, a qua sententia ne Müllerus quidem abhorret (v. Archæol. § 301, not. 2). Sed eam falsam esse, docent et inventæ urnæ cinerariæ et antiquorum scriptorum loci. Nam quum in Sicilia inventæ sint urnæ tribus ansis instructæ (v. Gerhard. Auserl. Vasenbilder p. 193, not. 17), tum ex Attica prodiit olearia illa amphora Burgonis (Milling. Un. Mon. I, 1—3) cineribus repleta, et in museo Blacas vas prorsus diversi generis adhuc servat cineres (v. Panofka Rech. III, 57). Omnino in vasis maxime variis inveniri cineres et ossa, quin etiam in pateris, affirmant periti, ut Jorio: Metodo per rinvenire i sepolcri degli Antichi, p 24 not. Nec aliud ex scriptorum testimoniis efficitur. Nam pro vulgari nomine *ὑδρίας*

---

quidem fides aliqua haberi possit, ut schol. melior ad Ar. Eq. 1150, Photius, etiam Hesychius, ut mirer, eos dissentire visos esse Papio in Lexico.

aut κάλπιδος, Homerus (Il. ψ, 92) habet χρύσεον ἀμφιφορῆα; Sophocles autem El. 1401 et Æschylus Ag. 444, Ch. 686 λέβητα; Lycophron Alex. 273 κρατῆρα. Etiam φιάλην legimus apud Homerum Il. ψ, 243. Imperat enim Achilles de Patrocli ossibus

καὶ τὰ μὲν ἐν χρυσέῃ φιάλῃ καὶ δίπλακι δημῷ
θείομεν, [illegible]κεν αὐτὸς ἐγὼν Ἄϊδι κεύθωμαι.

Et mox di[illegible]ientes

[illegible]λεγον ἐς χρυσέην φιάλην καὶ δίπλακα δημόν.

In quo loco interpretes, quamvis constet φιάλην esse pateram, tamen uno ore tradunt, amphoram esse, inducti Patrocli verbis (supr. v. 91)

ὡς δὲ καὶ ὀστέα νῶϊν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι,
χρύσεος ἀμφιφορεύς, τόν τοι πόρε πότνια μήτηρ.

Sed minime de eodem vasculo agitur. Quin etiam si quis miratus est, quod pateris, ad præferendum quam ad condendum aptioribus, ad cineres servandos usi sint, videtur in hoc Homeri loco causa huius usus indicari. Etenim Achilles, qui vult, eadem urna condi sua ossa et amici, huius funus ante suum, brevi secuturum, non prorsus absolutum putat. Quare et parvum tumulum extrui iubet, nec cineres amici penitus condi sinit, sed in aperta patera, tantum adipe tectos seponi, donec ipso combusto utriusque reliquiæ simul eadem urna condi possint.

Conficiebantur tamen etiam peculiares urnæ in hunc usum. Harum duplex genus est. Alterum angusto collo, ut quam maxime tuta quiescerent defunctorum ossa. Talia vasa vel lapidea vel testacea, quum ex Græcis sepulcris multa prodierunt, tum in monumentis sepulcralibus sæpe conspiciuntur vel anaglypho opere, vel ex solido marmore sculpta; his plerumque argumentum expressum est, mortuus a superstitibus discedens eosque valere iubens. Plerumque ansis

carent (v. Müller. Denkm. I, 29, 126; Ancient Marbles of the Br. Mus. IX, tabb. 31—34); nec desunt tamen urnæ vel una vel duabus ansis munitæ (v. Anc. Marbles IX, tabb. 33 et 34). — Alterum genus et collo et pede et ansis caret. Eiusmodi urna ovo similis spectatur picta in vase quodam Musei Borbonici, v. Milling. Peintures d. Vases de diverses collections, tab. 16; Raoul Rochette: Monum. Ined. I, tab. 31. Huius generis sunt vitreæ urnæ, quæ in Romanis sepulcris sæpe inveniuntur, ut quas ex Cumano agro domum retulit Rex noster augustissimus, v. Jorio l. l. tab. 7. Interdum, ne quid accideret, plumbeo involucro tectæ sunt, ut in Pompeiano quodam monumento, v. Mazois: Les Ruines de Pompei I, tab. 22. — Variis arcis utebantur Tusci et Latini, v. Abeken Ital. Med. p. 367; supr. p. 6.

13. *Κρωσσός*

ab H. Stephano comparatur cum nostro "Kruus", Gallorum "cruche"; nescio, quam vere. Usus eius ab hydria non multum videtur diversus fuisse; nam Pollux VIII, 66 enumerat *ἀγγεῖα ὑδροφόρα* hæc: *ὑδρίαν, πρόχουν, κρωσσόν, κάλπιν;* cf. X, 30. Æschylo quidem tam vini quam aquæ vas est in fr. 91: *Μηδὲ κρωσσοὺς μήτ' οἰνηροὺς μήθ' ὑδατηροὺς λείπειν ἀφνέοισι δόμοισι.* Soph. O. C. v. 478 *κρωσσούς* appellat, qui v. 472 *κρατῆρες* sunt; ex jis autem Oedipus aquam et mel effundit Eumenidibus. Omnino minime rarum fuit hoc urnæ nomen; v. Eur. Cycl. 89 *κρωσσοὺς ὑδρηλούς,* cf. Ion. v. 1173. Apud Theocrit. 13, 46 Hylas aquam petens gerit *πολυχανδέα κρωσσόν,* qui v. 39 dicitur *χάλκεον ἄγγος.* Plutarchus in Alex. 20 enumerat vasa in balneo Darii: *ὅλκια καὶ κρωσσοὺς καὶ πυέλους καὶ ἀλαβάστρους.* Dicitur etiam de cineraria urna, ut ap. Moschum 4, 34: *καὶ κὲν ἕνα χρύσειον ἐς ὀστέα κρωσσὸν*

ἀπάντων λέξαντες κατέθαψαν, et in Anth. Pal. II, 1: *πένθιμε κρωσσέ*. Cf. ibid. VI, 8.

De forma *κρωσσοῦ* nihil traditur, nisi quid elici potest ex Sophoclis loco citato: *ὧν κρᾶτ' ἔρεψον καὶ λαβὰς ἀμφιστόμους*. Panofka III, 57 sic nominat vas, quattuor ansas habens, quamquam ex Sophoclis loco effici videtur, duas habuisse.

His expositis de nominibus, iam transeamus ad ipsa fictilia vasa antiqua, quæ prima huius quæstionis causa fuit, eorumque descriptis generibus, quod cuique nomen conveniat, quoad eius fieri possit, indicemus, nec omnino multis, ut in introductione diximus (p. 23), utentes nominibus, nec quotquot species vasorum distinguendæ videntur, eas utique nominum numero æquantes.

Primum discrimen ansarum est; quarum quum duplex genus sit, quæ ad perpendiculum extensæ sunt, proprio nomine *ansas* dicemus, eas vero, quæ secundum horizontalem, quam dicunt, lineam positæ sunt, ut *aures* diceremus, concedi posse putavimus (supra p. 43).

Ab ansis profecti distinguimus 1) ea vasa, quæ duas ansas habent, quam ob causam recte amphoræ appellantur, quamquam pleraque eorum etiam generali nomine *ὑδρίαι* et *κάλπιδες* erant. 2) Quæ unam ansam habent, plerumque duabus auriculis additis, quorum præcipuus usus erat in aqua haurienda, magis proprie urnæ dicuntur sive *ὑδρίαι* et *κάλπιδες*. 3) Quæ ansam supra os surgentem habent, quia ad aquam ex puteo tollendam apta videntur, fortasse situlæ, *κάδοι* appellari possunt. 4) Quæ ansis carent, generis nomine urnæ dicantur, exceptis iis, quæ non ad communem vitæ usum, sed ad merces exportandas adhibita sunt; hæc *στάμνους* et *βίκους* appellare licet.

I.

Amphoræ.

Secretis primum amphoris illis non pictis, quæ inferiore parte in acutum desinente in terram defodiebantur ad servandum vinum alia-

que, quas commemoravimus supra p. 39, si ad picta vasa transierimus, ex tribus illis, quæ in introductionis § 3 posuimus artis generibus, rudi, Attico, Italico, duo priora fere easdem species vasorum præbent, quamquam crescente arte semper maior elegantia et pulchritudo formarum existit, tertium genus multa singularia habet.

A. Rudia vasa et Attica.

1. Primarium genus similitudinem quandam exhibet ovi, ita ut acuta pars pedi inserta sit, latior pars collum appositum habeat cum duabus ansis. Hic autem duo genera distinguenda; nam aut collum prorsus a corpore discretum est et vere impositum, aut leni transitu in ipsum corpus desinit, ut, ubi corpus sit, ubi collum, vix decerni possit. Illas Gerhardus Bacchicas appellat (exempla v. Gerh. Rapporto Volcente, cuius tabulæ aeneæ extant in Monum. Ined. I, 26—27, nn. 7—13; Ultime Ricerche nn. 1, 2, 4, 6; ad alterum genus Panathenaicæ amphoræ pertinent (exempla v. Gerh. Rap. nn. 1—6; Ult. R. nn. 3 et 5). Suspicor, illas fuisse *vinarias*, has *olearias* amphoras. Nam ut in vino fæx extrema residere debet, et imprimis cavendum est, ne hæc simul cum vino effundatur, id quod egregie præstat collum a corpore disiunctum, ita in oleo id unum spectandum est, ut quam facillime effluat. Confirmant hanc opinionem argumenta in vasis picta, nam quum ceterorum Deorum et heroum fabulæ, hominum pugnæ aliaque utrique generi communia sint, Bacchica illius, Minervalia argumenta huius generis fere propria fuisse videntur.

2. Alterum amphorarum genus inversam quandam præbent speciem, latiore parte deorsum vergente, plerumque cadenti guttæ quam ovo similiorem. Exempla v. Gerh. Rap. nn. 14 et 15; Ult. R. n. 12; Panofk. Rech. I, 9 et 10. Hoc genus in posterioris demum temporis operibus frequens picta habet præter fabulas maxime quæ ad corporis cultum pertinent, ut adolescentes nudos cum strigilibus, mulieres cum speculis et arculis, alia. Videntur hæc vasa aquam continuisse, nec dubito, quin recte Panofka hydrias appellaverit, modo ne verum turbasset adiecto adiectivo "Panathenaicas." Gerhardus novum nomen quærens, quia hæc forma, quæ nobis quidem elegantissima videtur, ei non placebat (v. Annal. III, p. 238, Antike Bildw. p. 349), πελίκην appellavit, nomine prorsus temere arrepto ex Athen. XI, 495 et Poll. X, 67 et 78, cuius vim etiam antiqui grammatici ignorarunt, quorum alii κύλικα esse dicebant, alii χοῦν (et hoc quidem meliorem

4*

habet auctorem Cratetem), alii λεκάνην ξυλίνην, qui vocabulum repetebant ἀπὸ τοῦ πελεκᾶσθαι. Gerhardus quartam opinionem protulit, et habuit viros doctos sequentes, quamquam nihilo melior est eius derivatio, deminutivum esse τῆς πέλλης.

B. Italicum genus novas species præbet, non semper elegantes, sæpe contortuli artificii aeneaque imitantes et marmorea vasa.

1. Unum genus angustiore collo, corpore minus tumido, quod maxime in Apulia inventum est, sepulcrales urnas (v. supr. p. 48) imitari videtur. Exemplaェv Gerh. Ult. R. nn. 7 et 8.

2. Alterum genus ampliore collo, rotundiore corpore, in ansis maxime novam elegantiam quærit, quæ iam, supra summam vasis oram erectæ, spreta utilitate portandi, nil nisi ornatum sectantur. Duæ maxime species. Aut enim

a) superior ansæ pars in volutam desinit, personis plerumque ornatum, quum inferior pars in auriculam subsidat, ut compositum quoddam efficiatur ex ansa et aure genus. Non raro ab utraque ansarum parte olorina colla surgunt. Expl. v. Gerh. Ult. R. n. 10.

b) Aut præter ansas tenues gracilesque, orbibus sive rotulis ornatas, in medio corpore aures appositæ sunt. Expl. v. Gerh. Ult. R. n. 11; Panofk. Rech. II, 101. Talis quædam species, sed remotis nugis artificiosis ad vitæ usum comparata videtur fuisse Corinthiarum hydriarum. Nam Asclepiades Myrleanus apud Athen. XI, 488, d. de celebrato illo Nestoris poculo disputans, εἶχε μὲν, inquit, δύο ὦτα ἄνω καθόπερ καὶ τὰ ἄλλα ποτήρια, ἄλλα δὲ δύο κατὰ τὸ κύρτωμα μέσον ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν μικρά, παρόμοια ταῖς Κορινθιακαῖς ὑδρίαις.*) Recte intellexit hunc locum Müllerus in Archæol. § 299, not. 9, quum Panofka male retulisset ad ea vasa, quæ unam ansam et duas auriculas haberent (I, 11), quæ vulgaris prorsus est urnarum species, non Corinthi propria, Letronnius autem (Ephem. 1833, p. 401) non melius ad ea, quæ tantummodo duas aures haberent, cuius rei exemplum non ab urnis sed a crateris petendum erat.

*) Fortasse easdem commemorat Cicero in Verr. IV, 44, 97.

II.

Hydriae.

A. Vulgares unam ansam habent et duas in medio corpore auriculas. Duo genera distinguenda, utrumque Attici operis.

1. Alterum genus collum habet a corpore discretum, ad infundibuli modum se aperiens, quo melius recipiatur aqua, ansam grato flexu supra ostium elatam. Elegans hoc genus tantummodo antiquioris artis esse videtur, Volcis fere unis inventum. In huius generis vasis argumenta illa, quæ commemoravimus (p. 17 et 44), aquantium mulierum picta sunt. Expl. v. Gerh. Rap. nn. 23 et 24; Ult. R. n. 13.

2. Alterum genus, quod maximam partem posterioris artis est, collum habet non separatum, sed in ipsum corpus transiens, os minus patens, ansam minorem. Expl. v. Gerh. Rap. nn. 25 et 26; Ult. R. n. 14; Panofk. Rech. I, 11.

Gerhardus illud genus ὑδρίας nomine appellavit, hoc κάλπιδος, quamvis probe sciret,*) nihil interesse inter hæc nomina, propterea quod Panofka (Rech. p. 8) in pedibus duorum vasorum, in altero irrasum invenit ΥΔΡΙ, in altero ΚΑΛ. Nobis quidem legentibus Panofka utrumque vas posterioris generis dicere videtur.

B. Rarius inveniuntur urnæ sine auribus, ansa sola instructæ. Genera eadem atque amphorarum. Nam aut 1) latior pars vasis sursum vergit, quale vas est in museo Regis Daniæ. (Gerh. Rap. nn. 18 et 19 dubito, an χόες potius sint, quam ὑδρίαι); aut 2) deorsum, qualia ex rudi artis genere reperta sunt; v. Gerh. Rap. n. 16.

III.

Vas ansam super os extensam habens v. ap. Pan. Rech. II, 13. Parva quædam nigri coloris, circa Barium reperta, sunt in museo Regis Daniæ; v. Gargiulo Collezione delle forme, Tav. Ia. delle Classi n. 8. Vix puto hæc vasa, apud Ægyptios frequentissima, omnibus Græcis in usu fuisse.

---

*) Ult. Ricerche p. 153: "Sebbene tutte e due le suddette espressioni possano applicarsi all' una ed all' altra di quelle forme". Cf. Antike Bildwerke p. 351.

IV.

Vasa ansis carentia.

A. Reperta sunt quædam, quibus liquores servati videntur, ut Passeri. III, 228, lutei coloris vas. In museo Regis Daniæ aliud extat, Theræ inventum, auriculis instructum. Fortasse ille *στάμνος*, hic *βῖκος* fuit.

B. Plura reperta sunt, quæ tantum ornatus causa, interdum propter argumenta etiam sepulcrorum causa facta videantur, aut auribus ornata, ut Passeri. III, 293, 294, aut sine auribus, ut Passeri. II, 196; III, 279. Millingen Un. Mon. I, tab. C.

Ingens extat numerus minorum vasorum iisdem formis. Patet, usum non fuisse eundem; nec tamen quidquam impedit, quominus formas secuti *ἀμφορίσκους* et *ὑδρίσκας* appellemus.

---

§ 2.

Minorum vasorum, quibus servantur liquores, duo genera faciemus, vinariorum et oleariorum. Quamquam enim hæc quoque nomina interdum confunduntur, hoc tamen tam raro fit, ut in Græcis saltem nominibus pro abusu habendum sit.

A.

De vini vasculis.

1. *Κώθων*

quamquam a Polluce (VII, 162), una cum *πίθοις, πιθάκναις, ἀμφορεῦσι, βίκοις, στάμνοις* commemoratur, ut ad maiora vasa referri videatur, tamen quia et ab eodem scrip-

tore (VI, 96; X, 66) et ab ceteris omnibus inter pocula ponitur, ad minora malui referre. Quod si quis et cothones et rhyta et ampullas poculis adnumerari maluerit, ut antiqui ipsi fecerunt, tamen angustum os probat, in fabricandis his vasculis id maxime spectatum esse, ut liquores tuto servarentur, quamvis non minus de ipsis rhytiis et ampullis, quam de apertis poculis, infusa ex illis potione, bibi posset, eodem modo, quo ex iis, quæ nos "Lærker" dicimus.

Præclare de natura τοῦ κώθωνος docemur a Critia ap. Ath. XI, 483, b; qui dicit, Laconicum esse poculum, militiæ accommodatissimum, quia et facile in pera militari portari possit, et ubi aqua, ut in itinere non semper purissima, bibenda sit, vel visum aquæ auferat, vel limum cavis lateribus retentum per os exire non patiatur (ἄμβωνας ὁ κώθων ἔχων ὑπολείπει τὸ οὐ καθαρὸν ἐν αὑτῷ). Consentit Xenophon, in Cyropædia I, 2, 8 cothona commemorans aptum, quo aqua ex fluvio hauriatur; eandemque sententiam copiosius exponit Plutarchus in Lycurgi c. 9. Nec tamen aquæ solum vas erat, imo vini plerumque, ut in frr. comicorum ap. Athenæum l. l. Inde compotatio dicebatur κώθων, et κωθωνίζεσθαι et κωθωνισμός de nimio potu, et ἀκρατοκώθωνες huic rei dediti.

Magnitudinem modicam fuisse, ex usu verisimile est; sine dubio non ex minimis fuit ille Alexidis quattuor heminas capiens (483, e). In Ptolemæi pompa ut omnia ingentia, ita etiam διμέτρητοι κώθωνες sunt (Ath. V, 199, e). Quod ad materiam attinet, vulgo fictiles erant, v. Poll. VII, 162; tamen in inscriptione Attica apud Boeckhium (C. I. vol. I, p. 286) commemorantur χαλκοῖ κώθωνες. Sed in Ar. Pac. 1094 φαεινὸς κώθων dictus videtur potius propter voluptatem potandi, quam propter splendorem æris.

De forma huius vasis præter ea quæ ex Critiæ verbis concludi possunt, eosdem *ἄμβωνας* commemorat Poll. VI, 97: *τοῦ κώθωνος αἱ ἑκατέρωθεν πλευραὶ ὥσπερ καὶ τῆς χύτρας ἄμβωνες καλοῦνται.* Unam ansam habuisse, docent Hesychius et Suidas, eamque brevem commemorat Heniochus ap. Ath.: *πιεῖν τις ἐγχείτω λαβὼν πυριγενῆ κυκλοτερῆ βραχύωτον παχύστομον κώθωνα παῖδα φάρυγγος.* Polemo ap. Ath. 484, c. satyrum describit dextra tenentem *κώθωνα μόνωτον ῥαβδωτόν.* In Theopompi autem versibus ap. Ath. 483, e. non videtur significari collum contortum cothonis, ut vulgo putant, sed *στρεψαύχην* activam vim habet, qui cervices bibentis flectit et torquet, id quod necesse est fiat, si quis ex lagena vel ampulla bibit; hoc suadet proximus versus. Legimus enim:

Ἐγὼ γὰρ κώθωνος ἐκ στρεψαύχενος
πιοίμαν, τὸν τράχηλον ἀνακεκλασμένη.

Genus vasis novimus, forma accurata constitui vix potest. Sed ex testimoniis antiquorum supra expositis patet, et Panofkam errare, qui patellam quandam hoc nomine appellet (Rech. IV, 72; Pourtalés 30), et Letronnium, qui huic vocabulo certam significationem abiudicet; "ce mot," inquit in Eph. Er. 1833, p. 732, not. 8, "comme celui de cylix, a signifié en general un vase a boire, n'importe quelle forme." Vidimus tamen formam satis definitam.

2. *Ῥυτόν,*

quod *rhytium* dicit Martialis in lepido epigrammate II, 35:

Quum sint crura tibi, simulent quæ cornua lunæ,
In rhytio poteras, Phoebe, lavare pedes,

ad hoc genus pertinet consentientibus testimoniis antiquorum scriptorum. Docet Dorotheus Sidonius apud Ath. 497, e: *τὰ ῥυτὰ κέρασιν ὅμοια εἶναι, διατετρημένα δ᾽ εἶναι,*

ἐξ ὧν κρουνιζόντων λεπτῶς κάτωθεν πίνουσιν· ὠνομάσθαι δὲ ἀπὸ τῆς ῥύσεως, et Ulpianus ad Demosthenis Midianam § 158: ἐπιμήκη ποτήρια κερατοειδῆ, ἄνω μὲν εὐρυνόμενα, εἰς ὀξὺ δὲ λήγοντα. Antiqui Græci non solum ea ratione, qua eeteri populi, ex boum cornibus bibebant, sed etiam perforata acuta parte cornus vas quoddam effeeerunt ad liquores vel stillandos vel certo tenore effundendos aptissimum. Hæc ῥυτά dicta sunt a fluendo (ῥεῖν). Primo autem cornua, ut erant, dicebantur, teste Ath. 497, b: ἐκαλεῖτο δὲ τὸ ῥυτὸν πρότερον κέρας. Nescio an rhyta intelligenda sint in corrupto Philoxenis loco (476, e): ἐν χρυσαῖς προτομαῖς κεράτων. Mox etiam ex alia materia facta sunt, ex argilla et metallis, nomenque inventum, ut rhyta dicerentur. Videri potest hoc nomen Astydamantis ætate nondum vulgatum fuisse, cuius versus sunt apud Athen. 496, e:

Κρατῆρε μὲν πρώτιστον ἀργυρῶ δύο,
φιάλας δὲ πεντήκοντα, δέκα δὲ κυμβία,
ῥέοντα δώδεχ', ὧν τὰ μὲν δέκ' ἀργυρᾶ
ἦν, δύο δὲ χρυσᾶ, γρὺψ τὸ δ' ἕτερον πήγασος.

Neque enim video, cur qui κρατῆρας, φιάλας, κυμβία suis nominibus indicaverit, ῥυτά describere, quam nominare maluerit*). Apud Demosthenem extat nomen in Mid. § 158: κυμβία καὶ ῥυτὰ καὶ φιάλας. De inferioris ætatis usu v. Athenæus p. 497; Plut. Alex. 67; Jacobs. Anth. VII, 335; Poll. VI, 96.

Qui in fontibus et stillicidiis frequentissimus antiquorum mos erat, ut ex leonum aliorumve animalium oribus prosiliret aqua, idem in his rhytiis receptus est, ut præ-

---

*) Athenæus inepte facit poculi nomen τὸ ῥέον.

fixis animalium capitibus aut protomis (Philoxen. l. l.) inde emitteretur liquor. Nemo mirabitur, vasa ipsa horum animalium nominibus esse appellata. Gryphem*) et pegasum supra vidimus in fr. Astydamantis; elephantos habet Epigenes (497, a); tragelaphos quoque (Ath. 500, e; 497, f. Boeckh. C. I. n. 150, v. 37) huc referendos arbitror propter Herc. et Pomp. V, 101, quamquam non diserte traditur, utrum per os bestiæ effluxerit liquor, an ex lato ostio oppositæ partis biberint. Nam delectabatur mirifice Græcorum ingenium poculis animalium capita imitantibus; nec pauca pulcherrima huius generis ad nos pervénerunt maxime ex Apulia, quæ omnia falso rhyta appellare solent VV. DD., nullo omnino testimonio nixi, quum et nomen ipsum et antiqui scriptores uno ore doceant, ῥυτά esse ea vasa, quæ ex angusto ostio fontis instar liquores emittant. Verum vidit Müllerus in Archæol. § 299, k. Quoniam vero ceteri fere omnes illum errorem defendunt, argumenta eorum accuratius examinemus.

Kramerus (Ueber Styl u. Herk. p. 128) laudans Epinici versus ap. Ath. 497, a:

καὶ τῶν ῥυτῶν τὰ μέγιστα τῶν ὄντων τρία
πίνειν δεήσει τήμερον πρὸς κλεψύδραν
κρουνιζόμενον· ἀμφότερα δ' οἰωνίζομαι.

---

*) Prorsus mire Letronnius in Ephemer. Eruditorum 1833, p. 694, not. 2 statuit, gryphem dictum esse rhyton, non solum quod gryphis, sed etiam quod leonis caput præfixum haberet, propter titulum Atticum (C. I. n. 139 v. 11), in quo legitur *γρὺψ, γρυπὸς προτομή ... γρὺψ, λέοντος προτομή.* Primum qui scit, hæc esse pocula? quasi non alia etiam in templis dedicata sint; tum non satis considerasse videtur vir doctissimus, se non Hesychium legere insolita verba interpretantem, sed titulum donaria templi enumerantem.

Num *ὄνος* ap. Aristophan. Vesp. 616 rhyton fuerit, decernere non queo.

ait, hunc tam fortiter bibacem vix tam segni et difficili ratione bibendi usurum fuisse ("eine so langsame und langweilige Methode"); quasi non hoc demum acris potoris sit, non ex poculis, sed ex ipsa lagena bibere. Quid quod etiam leporem quendam spectavit poëta in comparatione clepsydræ et rhyti, κρουνίζοντος utriusque. Alterum affert V. D. argumentum minime se dignum: in tanto numero talium vasorum, quæ ad nos pervenerint, admodum pauca esse perforata; quasi necesse sit, quæ nostri temporis archæologi rhyta vocaverint, ea antiquos eodem nomine appellasse, aut quasi tam frequens sit mentio rhytorum apud antiquos, ut fieri non potuerit, quin multa etiam ad nos pervenirent: quod contra est; quin eo tempore, quo hæc fictilia facta videntur, fortasse ne nomen quidem habebant. Quod autem dicit, in scriptis antiquis ῥυτόν et κέρας difficulter discerni, et Letronnius simpliciter affirmat, synonyma esse, supra vidimus esse falsum. Unum afferunt Athenæi locum 476, b: διαμένει δὲ καὶ ἔτι νῦν ἡ τῶν κεράτων κατασκευή· καλοῦσι γοῦν ἔνιοι ταῦτα ῥυτά. Commemorat grammaticus peculiarem aliquorum hominum dicendi rationem, ut vel hic locus potius a nobis sit, quam contra.

Quod animadverterat Theophrastus ap. Ath. 497, e, repetiitque discipulus eius Chamæleo ibid. 461, b, pictores heroibus solis concessisse rhyta, in iis artis operibus, quæ ad nos pervenerunt, non est ita. Videmus satyros hominesque ex rhytiis bibentes (Mus. PCl. V, 100; Herc. et Pomp. II, 20), etiam Bacchum (Millin. Monuments antiques inedits I, 21, ubi rhytium singularem formam habet); videmus ex rhytiis fundentes vinum in cantharos (Herc. et Pomp. IV, 14), in pateras (Becker. Caricl. tab. 3, 1; Hercul. et Pomp. V, 101, 102), in calathos,

ut Lares, quorum rhytia in avium capita desinunt (Mus. PCl. IV, 45; Herc. et Pomp. IV, 10 et 36; VI, 47).

Extant etiam inter ea vasa, quæ ad nostrum tempus servata sunt, pauca quædam rhytia, ut Gerh. Ult. R. n. 38; Letronn. Observ. n. 47.

Legimus apud Athenæum (X, 425, f; XIII, 476, f) ex Polybio, multas fuisse Alexandreæ statuas Clinonis, pincernæ Ptolemæi Philadelphi, rhytia manu tenentes. Sed memorabilius est, quod in eadem urbe Arsinoes Zephyritidis statua rhyton tenuit, singulari arte a celeberrimo illo Ctesibio factum, ita ut aperto ore (qui Græce dicitur *κρουνός*, fons) sonitum ederet. Descripsit Hedylus ap. Ath. 497, d.

Ζωροπόται, καὶ τοῦτο φιλοζεφύρου κατὰ νηόν
τὸ ῥυτὸν αἰδοίης δεῦτ' ἴδετ' Ἀρσινόης,
ὀρχηστὴν βῆσαν Αἰγύπτιον· ὃς λιγὺν ἦχον
σαλπίζει κρουνοῦ πρὸς ῥύσιν οἰγομένου,
οὐ πολέμου σύνθημα, διὰ χρυσέου δὲ γεγωνεῖ
κώδωνος κώμου σύνθεμα καὶ θαλίης.

Simile instrumentum hydraulicum commemoratur ap. Ath. IV, 174. Verum ex hoc Arsinoes cornu non aqua saluit, sed vinum, quare Hedylus *βῆσαν* dicit, advocatque *τοὺς ζωροπότας* ad tubam audiendam, quæ non bellum sed convivii gaudia sonet. Scilicet hoc Arsinoes rhytium æmulabatur Amaltheæ cornu, quod omnibus anni fructibus (*πάντων τῶν ὡραίων*) refertum ipsum dicebatur *annus*, *Ἐνιαυτός* (v. Ath. V, 198, a. Idem male in poculis recensendis etiam hoc attulit XI, 783, c). Sed non æquare tantum, etiam superare cupiebant; quare duplex cornu fecerunt, *δίκερας*. Nam rectissime vidit Kramerus l. l. p. 127, sq.,

hoc inesse in Athenaei loco p. 497, b: *Δοκεῖ δὲ σκευοποιηθῆναι ὑπὸ πρώτου τοῦ Φιλαδέλφου Πτολεμαίου βασιλέως, φόρημα τὰ γενέσθαι τῶν Ἀρσινόης εἰκόνων· τῇ γὰρ εὐωνύμῳ χειρὶ τοιοῦτον φέρει δημιούργημα πάντων τῶν ὡραίων πλῆρες, ἐμφαινόντων τῶν δημιουργῶν, ὡς καὶ τοῦ τῆς Ἀμαλθείας ἐστὶν ὀλβιώτερον τὸ κέρας τοῦτο.* Hæc, ut nunc est, referuntur ad simplex rhyton. Sed fieri prorsus non potuit, ut idem Athenæus, qui paulo ante usum rhytii Demosthenis exemplo probavisset, iam traderet, Ptolemæi inventum esse: tam historiæ rudis profecto nemo Græcus fuit. Præterea, ut animadvertit Kramerus, sine sensu essent illa verba: *ἐμφαινόντων τῶν δημιουργῶν κ. τ. λ.*, nisi duplex esset Arsinoes cornu, quum Amalthææ simplex fuisset. Quare recte statuit Kramerus, decsse ante hunc locum verba quædam, quæ significarent, iam non de simplici cornu agi; sed de duplici, velut: *Ἔστι δὲ καὶ ποτήριον τὸ δίκερας*, sive integrum versum omisit librarius, sive propter homoeoteleuton erravit.

Pergit Athenæus l. l. in commemorando duplici cornu; recteque Kramerus in Theoclis v. 3 pro eo, quod vulgo legitur: *πιὼν τοδὶ κέρας*, scribit *τὸ δίκερας*, flagitantibus etiam versus numeris anapæstum in quarto pede non ferentis. Pollux etiam (VI, 97) inter pocula ponit *δίκερας ἢ δίκρουνον ῥυτόν.*

In Ptolemæi pompa (Ath. V, 202, a, b) vulgo hæc leguntur: *Ἐπόμπευσαν δὲ καὶ θρόνοι πολλοὶ ἐξ ἐλέφαντος καὶ χρυσοῦ κατεσκευασμένοι. ὧν ἐφ᾽ ἑνὸς ἔκειτο στεφάνη χρυσῆ, ἐπ᾽ ἄλλου δίκερας χρυσοῦν, ἐπ᾽ ἄλλου δὲ ἦν στέφανος χρυσοῦς, καὶ ἐπ᾽ ἄλλου δὲ κέρας ὁλόχρυσον.* Quæ ut falsa sunt, ita ne sunt quidem in manu scriptis libris, si verum quærimus. Nam priore loco Cod. Venetus optimus habet *δικερας* sine accentu, Laurentianus *δικέρας*,

Parisiensis Epitomæ *κέρας*, unde *δὴ κέρας* fecerunt edd. antiquæ; posterior locus in Epitome omissus est. Falsa esse quæ vulgo leguntur, imprimis probat illud *δὲ* in mediam sententiam importune illatum; recteque iam Kramerus suspicatus est, scribendum esse *δίκερας*. Sed ne sic quidem locus sanus est; nam repetitio ista eiusdem vasis (*δικέρατος*), nullo verbo repetitionem indicante, ut *πάλιν* aut simile quid, ferri non potest. Præterea *δὲ*, quod in posteriore sententia abundat, in priore desideratur. Patet igitur, scribendum esse... *ἐπ᾽ ἄλλου δὲ κέρας χρυσοῦν*... *καὶ ἐπ᾽ ἄλλου δίκερας ὁλόχρυσον*. Ita non solum sententiarum nexus aptus efficitur, sed etiam pompæ ordo rite procedit; adscendit enim a minore ad maius, atque ut *στεφάνη* minor est quam *στέφανος* et quasi dimidiatus *στέφανος*, eadem ratio inter *κέρας* et *δίκερας* intercedere debet.

De dicerate v. Müller. Arch. § 436, not. 4; Letron. Ephem. Er. 1833, p. 697. Imago eius frequens in numis, ut Arsinoes (v. Eckhel. D. N. IV, 31; al.).

3. *Βῆσα.*

Βῆσσαν Ath. XI, 784, b. ait esse poculum apud Alexandrinos *πλατύτερον ἐκ τῶν κάτω μερῶν, ἐστενωμένον ἄνωθεν*. Eustath. ad Od. *α*, 1405, 16 his exscriptis præcipit, ut uno sigma scribatur. Acuendam esse penultimam, docet Hedyli versus de rhyto Arsinoes (Ath. 497, d): *ὀρχηστὴν βῆσαν Αἰγύπτιον*. In quo loco quod Dindorfius (in Thesauro H. Stephani) affirmat non poculum, sed hominem saltatorem esse intelligendum, mihi quidem ista comparatio inepta videtur, nec video, quid obstet, quo minus lagenam saltatorem appellaverit propter salientem inde liquorem.

Ægyptium hoc nomen apud scriptores posterioris temporis, tam grammaticos quam ceteros vulgare fuit. Vim nominis satis definivit Athenæus l. l. Addi potest, scholiasten ad Arist. Ach. 1048 *βησίον* appellare quod poëta ipse v. 1053 *ἀλάβαστρον*.

Si exempla huius vasis ex Ægyptiis monumentis petenda sint, mulieres ex besa bibentes spectari crediderim apud Rosellinium in Mon. Civ. tab. 68, aliamque ex besa in pateram infundentem ibid. tab. 79.

4. Βομβυλιός

huic prorsus similis erat teste Suida: *βομβυλιός· ζῶον ἢ τὸ βησίον λεγόμενον.* Nomen est non Ægyptium, sed vere Græcum; quamquam non admodum vulgatum fuisse videtur propter usum Lucianei Lexiphanis (c. 7). Primum apium quoddam genus *βομβυλιοί* dicti sunt propter susurrum sive bombum quem volando edebant; v. Isocr. Helenæ encom. 12, ubi commemorantur qui *τοὺς βομβυλιοὺς καὶ τοὺς ἅλας καὶ τὰ τοιαῦτα* orationibus laudant. Tum poculum quoddam angusto collo, quod inter bibendum similem sonum ederet, eodem nomine appellatum est; v. Poll. VI, 98: *β. τὸ στενὸν ἔκπωμα καὶ βομβοῦν ἐν τῇ πόσει, ὡς Ἀντισθένης ἐν Προτρεπτικῷ.* Cf. X, 68; Schol. ad Apoll. Rhod. II, 569: *βομβύλη εἶδος μελίσσης καὶ ποτηρίου εἶδος ὡς Ἀντισθένης παραδίδωσιν· ἔστι δὲ τοῦτο στενοτράχηλον.* Bekker. Anecd. p. 220, 8: *βομβυλιός· ποτηρίου τι εἶδος στενοπόρου.* Addit idem: *καὶ τὸ ἐλαιηρὸν δὲ ἀγγεῖον καθ' ὁμοιότητα τοῦ ποτηρίου βομβυλιὸς ἐκλήθη*, quicum consentit Hesychius: *βομβύλη· λήκυθος.* Sed hic abusus nominis est, quod proprie significat vini ampullam.

Bibisse veteres ex ampullis, videmus et ex fr. So-

cratis ap. Ath. 784, d: *Οἱ μὲν ἐκ φιάλης πίνοντες ὅσον θέλουσι, τάχιστ' ἀπαλλαγήσονται,-οἱ δὲ ἐκ βομβυλιοῦ κατὰ μικρὸν στάζοντες....* Et Suetonius tradit, Domitianum (c. 21) modicam ex ampulla potiunculam sumere solitum. Pictus autem conspicitur in vasculo quodam ap. Passeri. II, 168 puerulus ex ampulla bibens. Hoc maxime in calida utilitatem habebat potione, quo diutius tepida maneret; cf. Hippocrat. p. 464, 55: *οἶνον γλυκὺν καὶ ὑδαρέα προπίνειν μὴ ψυχρὸν ὀλίγον ἐκ βομβυλιοῦ εὐρυστόμου* (?). Aliam affert causam Clemens Alex. (Pædag. II, 2, 33) delicatarum mulierum, ne oscula nimis aperiendo latiora facerent: *Ὡς μὴ ταῖς πλατείαις κύλιξι διαχέουσαι τὰ χείλη περιρραγεῖς γένωνται, στενοῖς κομιδῇ κατὰ τὸ στόμιον ἀλαβάστροις ἀσχημόνως πίνουσαι.*

Certam bombylio formam assignare, temerarium foret; falsas proposuerunt Panofk. Rech. V, 99 et Gerh. Rap. Volc. nn. 20 et 53, Ult. R. n. 20; nam et omnia olearia vascula sunt, et quæ Gerh. exhibet, tam facilem effusionem habent, ut nullum bombum edere possint. Hunc errorem non commisit Panofka, quamquam crabronis similitudinem non in murmure, sed in specie et colore quærens ab antiquorum auctoritate prorsus discedit.

B.

De olei vasculis.

1. *Λήκυθος*

vas olearium notissimum est. Recte Letronnius (Ephemer. Erud. 1833 p. 616) vidit, eiusdem radicis esse atque verbum *λάσκω*, et proprie esse vas collo angusto, tumidiore corpore, quod cum singultu quodam emittat liquorem. Cum hac derivatione vocis congruit quod legimus ap. Hesychium et

Schol. ad Platonis Hipp. Min. p. 334, Clearchum docuisse, *λήκυθον* appellari *τὸ μεταξὺ τοῦ λαυκανίου καὶ αὐχένος ἠχῶδες*, gurgulionem ("Adamsæblet"), qui quum inter singultum prosiliret, hunc ipsum sonitum efficere putabatur, præsertim quum etiam aliquatenus speciem ampullæ referret. Inde etiam *ληκυθίζειν* significat *τὸ μεῖζον βοᾶν καὶ ψοφεῖν*, ut ait Schol. ad Ar. Ach. 589, et repetiit Suidas, qui male legit *ληκυΐζειν*. Cf. Poll. IV, 114 histrionem commemorans *ληκυθίζοντα* et *λαρυγγίζοντα*, et Bekker. Anecd. p. 50, 8: *ληκυθίζειν ὁπόταν βούλωνται οἱ φωνασκοῦντες κοῖλόν τι φθέγμα ποιεῖν ὥσπερ εἰς ληκύθους* (imo *ἐκ ληκύθων*) *προϊέμενοι*.

Est igitur *λήκυθος* ampulla *olearia*, ut iam apud Homerum legitur (Od. ζ, 79): *δῶκε δὲ χρυσείῃ ἐν ληκύθῳ ὑγρὸν ἔλαιον*. Tum Ar. Av. 1589: *ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν ἐν τῇ ληκύθῳ*, per similitudinem indicat, iam inopiam sentire Deos, quum aves sacra iis oblata intercipiant. Quum autem quotidie ungerentur antiqui, ampulla et strigili carere nemo poterat. *Λήκυθος* et *στλεγγίς* sive *ξύστρον* persæpe coniuncta inveniuntur in antiquis scriptis et imaginibus; dicebatur etiam communi nomine *ξυστρολήκυθον*. V. Letronnius de papyro Græca in Ephem. Eruditorum 1833, p. 477 sqq.; seorsum excudit Didot una cum Aristophane, Paris. 1838, § 5, p. 22. Ex scriptorum locis afferam Plat. Hipp. Min. 368, C; Charmid. 161, E; Plut. Moral. p. 59, F; Poll. III, 154; X, 62; Plaut. Pers. I, 3, 44; Cic. Fin. IV, 12, 30. — Imagines videantur in Letronnii tabula; tum anaglypha ap. Stackelb. Gräber d. H. tab. 2, et Mus. PCl. IV, 29.

Ubi in gymnasia aut in balneas ibant, paulo elegantiores semper puerum secum habebant *ληκυθοφόρον*; sed parasitorum sordida paupertas et ipsa portabat ampullam et strigilem, nec unquam eas deponebat (v. Poll. IV, 120). Hos

dictos esse *αὐτοληκύθους*, tradunt grammatici propter Demosthenis locum in Conon. 14: *εἰσὶν ἐν τῇ πόλει πολλοὶ καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν υἱεῖς, οἳ παίζοντες οἷα ἄνθρωποι νέοι σφίσιν αὐτοῖς ἐπωνυμίας πεποίηνται, καὶ καλοῦσι τοὺς μὲν ἰθυφάλλους τοὺς δὲ αὐτοληκύθους*, ut mihi quidem videtur, male intellectum; an *καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν υἱεῖς* servos non habebant? imo dicebantur ipsæ ampullæ esse, quia nimio unguento et oleo turpiter affluerent.

Erat *λήκυθος* viri, ut strophium mulieris, v. Ar. Thesm. 139; puerisque dono dabantur, ut in virilis ætatis spem gauderent, v. Aristot. Eth. Nic. IV, 5: *Σφαῖρα ἢ λήκυθος ἡ καλλίστη ἔχει μεγαλοπρέπειαν παιδικοῦ δώρου.* Et erat hæc, nisi fallor, causa, cur in monumentis defunctorum ampulla imponeretur aut ex marmore sculpta (Ar. Eccl. 1111) aut coloribus picta; ita enim Aristophanis illa: *ὃς τοῖς νεκροῖσι ζωγράφει τὰς ληκύθους* (Eccl. 996) recte interpretatus est Suidas: *τοιαῦτα γάρ τινα ἐν τοῖς μνήμασιν ἔγραψε;* nam qui omnia ad testas suas transferunt, hæc quoque eo pertinere volunt. Qui vero alter in mortuis commemoratur mos, ut, quum ante exequias expositi iacerent culti et coronati, ampullæ apponerentur (v. Ar. Eccl. 538: *μόνον οὐ στεφανώσασ᾽ οὐδ᾽ ἐπιθεῖσα λήκυθον*, ibid. 1032: *καὶ ταινίωσαι καὶ παράθου τὰς ληκύθους*), eum id potius spectasse arbitror, ut continuo oleo unctum ne tabe corrumperetur corpus.

Sed *ληκύθῳ* utebantur etiam ad *pigmenta* servanda (ut in Ar. Eccl. 1101 anus rugas faciei medicamine obducto celans dicitur *ἔχουσα λήκυθον πρὸς ταῖς γνάθαις*), et ad *unguenta* maioris pretii. Ubi in Arist. Plut. 810 omnis paupertas in divitias mutatur, etiam *οἱ λήκυθοι μύρου γέμουσι.* In sumptuosissimo Carani convivio ap. Athen. IV, 129, b. singulis convivis donantur binæ ampullæ heminam

capientes, altera aurea, argentea altera, vinculo aureo colligatæ; quale par mox *διλήκυθον* dicitur. *Μυρηρὰν λήκυθον* commemorat Pollux X, 119 sq.; VI, 106; VII, 177. Erant hæ vulgo ex alabastro, ut Suid.: *λήκυθον τὴν τοῦ μύρου οἱ Ἀττικοὶ καλοῦσιν ἀλάβαστρον;* de quo genere, quia suam etiam figuram habet, separatim videbimus.

Ut igitur supra vidimus, *λήκυθον* viri propriam fuisse, ut qua corpus ungeretur, ita hic videmus etiam nimio servisse corporis cultui, qui feminis magis quam viris conveniret. Quare Aristophanes, quum in Ach. 589 ficto avis nomine Lamachum appellat *κομπολάκυθον*, videtur iuvenem significare non tam bello ferocem quam inani armorum splendore gloriantem. Idem autem ubi de poëtis et oratoribus dicitur, significat ambitiosum ornatum orationis et inanem verborum cultum. Dixerat iam Sophocles (ap. Suidam) *περιενεγκεῖν εὐστροφῶς καὶ κεκλασμένως τὸν ληκυθισμὸν τῶν αἰσχρῶν τε καὶ γελοίων ᾀσμάτων.* Callimachus tragoediam dixerat *ληκύθιον μοῦσαν* (v. scholl. ad Hephæstionem, p. 34 ed. Gaisf., et ad Pind. Ol. I, p. 15 Boeckh.); cf. *ἀπιλακυθιστρία* in Anth. Palat. XIII, 21, 5. Queritur Strabo (XIII, p. 609), quosdam *μηδὲν ἔχειν φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, ἀλλὰ θέσεις ληκυθίζειν.* Etiam Cicero ad Atticum Ep. I, 14, 3: „totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus soleo pingere, de flamma, de ferro — nosti illas *ληκύθους* — valde graviter pertexuit." Unde Plinius in Ep. I, 2 quum se dixisset imitatum esse siccum dicendi genus Demosthenis et Calvi, „non tamen", pergit, „omnino Marci nostri *ληκύθους* fugimus, quotiens paululum itinere decedere non intempestivis amoenitatibus admonebamur." Verum quod ceteri Græco nomine dixerunt, Latine expressit Horatius, tragoediæ commemorans „ampullas et sesquipedalia verba" (A. P. 97), et Titium desævientem et ampul-

lantem in tragica arte (Ep. I, 3, 14). Quæ omnia si quis ad sonitum et singultum ampullæ referri posse putaverit, quum in ipsis locis, quos citavimus, multa obstant, tum eadem imago aliis verbis expressa ap. Ciceronem ad Atticum II, 1, 1: „Meus autem liber totum Isocrati μυροθήκιον atque omnes eius discipulorum arculas ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit." — Fortasse etiam in hoc vocabuli usu lusit aliquid Aristophanes in Ranis, v. 1200 sqq., ubi Euripidis prologos ut nimis communi et pedestri sermone compositos reprehensurus, ita cavillatur, ut orationi eius semper adnectat: ληκύθιον ἀπώλεσεν, quasi poëta meras lodices, ampullas, peras crepares (v. 1203); nam vulgarem admodum rem et vilis pretii fuisse τὴν λήκυθον, vidimus p. 8. Celeberrima hæc Aristophanis cavillatio videtur causa fuisse, cur versus dimeter trochaicus catalecticus — nam tanta pars versus ab Aristophane absciditur verbis illis: ληκύθιον ἀπώλεσεν — et ipse ληκύθιον diccatur (v. Schol. ad Hephæst. p. 34 Gaisf.).

Gestabant ampullas de balteo suspensas, nec solum ad olei usum, sed etiam veneni (v. Suid. ληκύθιον). Et Harpocration quidem (v. αὐτολήκυθοι) etiam crumenæ vicem præstitisse tradit: καὶ γὰρ εἶχον ἐν ταῖς ληκύθοις ἀργύριον. Sed omnis eiusmodi usus minime proprius fuit, non magis quam si quis vinosus, ut ne in theatro quidem vino careret, ingentem ampullam vini plenam secum habuit, ut ap. Poll. X, 97 fr. Aristophanis: λήκυθον τὴν ἑπτακότυλον, τὴν χυτραίαν, τὴν καλήν, ἣν ἐφερόμην ἵν' ἔχοιμι συνθεάτριαν.

Ceterum ex omni fere materia fiebant ampullæ oleariæ; ex argilla (ut ap. Poll. X, 67) permultæ ad nos pervenerunt, de quibus postea; ex auro et argento vidimus in Homeri et Athenæi locis: aeneum extat instrumentum balneatorium

ex ampulla, quattuor strigilibus, scaphio constans, Pompeiis inventum (v. Becker. Gall. tab. 1, n. 4; Herc. et Pomp. VI, 87). Postea vulgo ex vitro fiebant, ut Hesychius: *λήκυθος· βησίον ὑάλινον*, et ap. Schol. ad Ar. Plut. 427 legimus: *λεκυθόπωλις* (imo *ληκυθόπωλις*) *λέγεται ἡ τὰ ὑέλινα ἀγγεῖα κυρίως πωλοῦσα*. Cf. etiam Plin. H. N. XX, S. 54, § 152. Vulgo etiam ex corio fiebant; Columella VIII, 2 extr. dicit „corium ampullaceum"; Plutarchus in Sulla 13 tradit, Athenienses in summa fame *ὑποδήματα καὶ ληκύθους ἑφθάς* edisse; nec aliud habere videbatur miser ille parasitus, qui morbo impeditus domo exire non poterat (ap. Ath. XIII, 584, f). Scorteae videntur, quæ conspiciuntur ap. Letronn. l. l., E, F. G.

2. *Ὄλπη*,

Schol. ad Theocrit. 2, 156 inquit, *κυρίως ἡ δερματίνη λήκυθος*. Sed hoc minime confirmant scriptorum exempla, ut Theocr. 18, 45: *ἀργυρέας ἐξ ὄλπιδος ὑγρὸν ἄλειφαρ λασδόμεναι*, Achæi Eretriensis ap. Ath. X, 451, c: *λιθάργυρος ὄλπη*, Epigramma ap. Suidam s. v.

Χάλκεον ἀργυρέῳ με πανείκελον Ἰνδικὸν ἔργον
ὄλπην ἡδίστου ξείνιον εἰς ἑτάρου,
ἦμαρ ἐπεὶ τόδε σεῖο γενέθλιον . . . . ,
πέμπει γηθομένῃ σὺν φρενὶ Κριναγόρας.

Alia exempla, ubi *ὄλπη* sit *λήκυθος*, vid. Theocr. 2, 156: *καὶ παρ' ἐμὶν ἐτίθει τὰν Δωρίδα πολλάκις ὄλπαν* et Nicand. Theriac. 97: *αὖα δ' ἐν ὄλπῃ θρύπτε, καὶ αὐτίκα γυῖα λιπαίνοις*. Videtur huius nominis vis ab initio latius patuisse, nam Crates docuerat (Ath. XI, 495, b), *οἰνοχόην* olim sic fuisse appellatam, et citantur huius usus antiquissimi auctores, Sappho (Ath. X, 425, d): *Ἑρμᾶς δ'*

ἔχων ὄλπιν θεοῖς οἰνοχόησεν, et Ion Chius (495, b): ἐκ ζαθέων πιθακνῶν ἀφύσσοντες ὄλπαις. Clitarchus autem tradebat, hanc nominis significationem apud Thessalos valere, illam vero oleariæ ampullæ apud Corinthios, Byzantios, Cyprios. Quod vero Hesychius discernit ὄλπην, λήκυθον et ὄλπιν, οἰνοχόην, eumque secutus est Letronn. Eph. Er. 1833, p. 620, hoc falsum esse docent exempla allata, in quibus utraque forma promiscue invenitur. Illud constat, hoc vocabulum et mature obsoletum fuisse, nec unquam vulgo usurpatum nisi apud Doricas quasdam gentes. Quare male fecerunt, quod etiam hoc nomine fictilia quædam appellarunt Panofka, Rech. V, 102, et Gerhard. Rap. n. 16; Ult. R. n. 35.

3. Ἀλάβαστρος

est λήκυθος ex alabastrite lapide facta, in quibus optime servari unguenta dicit Plin. H. N. XIII, S. 3, § 19. Sine dubio lapidis nomen barbaræ originis est; nam quod putarunt antiqui, derivatum esse ex α privativo et λαβέσθαι (λαβή), ut significaretur vas ansis carens, id nullo pacto potest fieri; quamquam etiam Abeken (Ital. Med. p. 269) in ea est sententia. *) — Primus Herodotus (III, 20) commemorat ἀλάβαστρον μύρου. Inde usus frequens apud Atticos, ut Suidas: λήκυθον τὴν τοῦ μύρου οἱ Ἀττικοὶ καλοῦσιν ἀλάβαστρον. V. Arist. Ach. 1053; Callimach. Pall. 15, Cer. 13; Plutarch. Timol. 15; Theocrit. 15, 114: Συρίω δὲ μύρω χρύσει' ἀλάβαστρα. Etiam apud Latinos, ut Cic.

*) Satis ridicule hoc expressit Schol. ad Ar. Ach. 1053: λήκυθος ἡ ὦτα μὴ ἔχουσα, ἧς οὐκ ἔστι λαβέσθαι. Tamen Gerhardus etiam (Annal. III, p. 240) putat esse vas, quod manibus prehendi non possit, "non maneggiabile".

ap. Non. p. 545: "alabaster plenus unguenti", et Martial. XI, 8, 9: "Cosmi redolent alabastra".

Nova materia lapidis etiam novam formam requisivit, quam satis accurate descripsit Plinius, qui H. N. IX, 56, 113 "elenchos," inquit, "margaritas appellant fastigata longitudine, alabastrorum figura in pleniorem orbem desinentes. Hos digitis suspendere et binos et ternos auribus, feminarum gloria est." Idem (XXI, 10, 14) nascentem rosam describens, eam intumescere ait et in virides alabastros fastigari. Ita quod initio materiæ nomen fuerat, mox etiam formæ nomen factum est, et alabastri appellati sunt, ex quacunque materia facti erant; aureos vidimus ap. Theocrit.; persæpe vitro et argilla eandem speciem imitati sunt. Exemplum v. Gerh. Rap. n. 21.

Alabastri quum multi ad nostram ætatem pervenerunt, tum sæpe in vasis picti spectantur, sive inde unguenta effunduntur, sive in pictis positi sunt unguentariorum scriniis, qualia *ἀλαβαστροθήκας* et *ἀλαβαστοθήκας* dicebant (v. Demosthen. Parapresb. 237; Poll. X, 121). Vid. Millingen: Peintures de vases de diverses collections, tab. 17.

Fictilium vasorum, quæ huc pertinent, duo maxime genera distinguenda sunt.

I.

Ampullæ,

quæ angusto collo, tumido corpore inter effundendum singultum edunt. Hæ quia plerumque suspensæ fuerunt, sæpe pede carent; interdum tamen basis addita est, ut depositæ stare possent.

1. Globosa forma spectantur scorteae ampullae sine ansa in disputatione laudata Letronnii (Ephem. 1833); aeneæ duabus ansis in Herc. et Pomp. VI, 78 et 87; vitreæ sunt in mus. Regis Daniæ. Fictiles unam habent ansam. Sunt a) ex antiquo et rudi genere, plerumque

sine basi, v. Pan. Rech. V, 95; Gerh. Rap. n. 60; Ult. R. n. 42; cum basi Gerh. Rap. n. 61. b) ex eleganti Attico genere, collo paulo erectiore, semper basi addita, v. Gerh. Rap. n. 62; Ult. R. n. 43. Hæc vasa falso aryballos vocant, de quo nomine post (Cap. 3, § 2, 1).*)

2. Aliæ sunt oblongæ, vel si quis Apuleii verbis mavult uti (Florid. II, 9, p. 34 Oud.) "lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate." Etiam hæ fere unam ansam habent. a) Aut basi carent, ut Pan. V, 99; et inveniuntur maxime ex rudi genere in guttæ cadentis similitudinem formatæ, v. Gerh. Rap. n. 20; Ult. R. n. 46. His tamen per abusum quendam ληκύθου nomen datur. b) Quibus basis addita est, eorum α. aut corpus eandem ambitus amplitudinem a summo ad imum versus servat, v. Pan. V, 93; Gerh. Ult. R. 44; aut β. latior corporis pars sursum vergit, v. Gerh. Rap. 54, quæ forma imprimis in antiquo Attico genere frequens est, v. Gargiulo Cenni, tab. 6; aut γ. deorsum vergit. In Annal. Inst. Rom. III., tab. D, n. 2 spectatur tale vasculum Eboli repertum, cui inscriptum legitur *ΔΙΟΝΥΣΙΟΥΛΑΛΧΥΘΟΣΤΟΥΜΑΤΑΛΟΥ*, i. e. hæc ampulla est Dionysii Matali filii, ut de huius quidem generis nomine nulla dubitatio relinquatur. Potius de primo et secundo genere (α et β), quibus plerumque et secundo quidem semper Bacchica argumenta appicta sunt, dubitari poterat, an vini vascula fuissent; tamen maior pars tam parvæ magnitudinis est, ut ad vini usum non apta videantur; quare Bacchica illa argumenta potius, quid illa ætate placuerit, indicant, quam quas ad res adhibita sint vascula.

II.

Alterum genus tereti corpore insigne, nec multum intumescit, nec collum fere a corpore discretum habet. Hæc omnia in alabastrorum similitudinem facta putaverim — et sunt quæ primo adspectu oculos fallant — nec si quis ea hoc nomine appellaverit, pugnabo, quamquam non omnia cum descriptione Plinii conveniunt, sed magna pars etiam infra fastigata est. Hoc genus ansis caret; verum interdum

---

*) Prorsus singulare vasculum anuli speciem refert ap. D'Hancarvill. IV, 101; Panofk. V, 100 duas ansas habet, et disco quam globo similior est.

utrinque parva quasi tubera prominent, quæ ne quis putet in inanem ansarum similitudinem ficta esse, apposita sunt ut vinculo sub iis ligato penderet vasculum.

Sunt hæc aut a) in latiorem orbem infra desinentia, v. Gerh. Rap. n. 21; Ult. R. 45; aut b) in acutum exeuntia, v. Gerh. Rap. n. 55; aut c) pede munita, v. Pan. V. 91; Gerh. Rap. 22.

Caput secundum.

De vasis in quibus temperantur et coquuntur liquores.

§ 1.

De vasis in quibus temperatur vinum.

1. *Κρατήρ.*

Notum est, antiquos Græcos et Romanos vinum plerumque non merum bibisse, sed aqua temperatum. *Ζωροποτεῖν* et *ἀκρατοποτεῖν* Thracum et Scytharum, non Græcorum mos erat (v. Herodot. VI, 84; Plat. Leg. I, 637, E). Aut singulis convivis temperari pocula videmus, ut in fr. Xenophanis ap. Ath. XI, 782, a:

Οὐδὲ κεν ἐν κύλικι πρότερον κεράσειέ τις οἶνον
ἐγχέας, ἀλλ' ὕδωρ, καὶ καθύπερθε μέθυ.

Aut omnibus convivis in uno magno vase temperabatur vinum, indeque singulis distribuebatur *). Hoc vas *ἀπὸ τοῦ κεράσαι κρατῆρα* dicebant Græci, idemque nomen Romani receperunt, mutato plerumque exitu et genere vocabuli (v. Isid. Or. XX, 5). Notus craterae usus iam ex Homero; manet idem per omnes Græciæ ætates, apud Atticos scriptores, in Ptolemæi pompa, apud Plutarchum et Philostratum, ut sane mirus sive grammaticorum sive poëtarum, quos explicant, error sit, qui legitur ap. Poll. VI, 92, *κρητήριον* dici *τὴν ἐπίχυσιν*, et ap. Hesych.: *σίτλιον, σκύφιον* **), *οἰνοχόον ἀγγεῖον*. Nullo argumento clarius apparet, quam parvi facienda sit grammaticorum auctoritas, ab ipsorum scrip-

---

*) Vid. Becker. Charicl. I, p. 464.

**) Plin. H. N. XXXVI, 4, 29: "Satyrus cratera alterius sitim sedat." Tales fortasse loci erroris causa fuerunt.

torum testimoniis destituta. Nam quid cratera sit, omnes novimus*), nec turbamur, quod Oedipus Coloni (v. 472) non vinum, sed mel et aquam in crateris miscet, aut quod Virgilius (Ecl. V, 68) ante Daphnidis aras crateras duos statuit pinguis olivi; nec dubitamus, quin hæ veræ et vulgares craterae fuerint; sed hæc magna et profunda vasa, etiam ubi ad alias res adhibebantur, tamen ex primario usu crateræ dicebantur; cf. Phot. s. v. *κέραμον*. Ex similitudine huius vasis appellati sunt etiam Ætnæ et Vesuvii crateres; et Soph. O. C. 1593 foramen terræ *κρατῆρα* dicit, et Philostr. p. 209 Nilum appellat *τὸν κοινὸν τῆς Αἰγύπτου κρατῆρα*.

Materia craterarum admodum varia. Ligneum, legimus ap. Ath. XI, 495, a. ex Pamphilo, antiquos Athenienses appellare *πρόαρον*, quæ vox non ab *ἀραρίσκω*, ut vult Letron. in Ephem. Er. 1833, p. 732, not. 4, sed ab *αἴρω* derivanda est. Panofka, neglecto eo, quod unum traditum erat, fictile vas appellat *πρόαρον*, II, 20. Intuenti hoc vas, quam crateram esse non negaverim, et contemplanti urceolum in medio operculo positum, non potest non in mentem redire Hesiodi admonitio in Opp. 744: *μηδέποτ' οἰνοχόην τιθέμεν κρητῆρος ὕπερθεν πινόντων*. Quod enim extra convivium licebat et vulgo fiebat, ut urceolus ministratorius sive guttus super crateram poneretur, id in ipso convivio sine malo omine finitæ lætitiæ fieri non poterat, v. Becker. Char. I, p. 463. — Sæpissime fictilis erat cratera, ut Atticæ *τῆς Κωλιάδος*, posteriore tempore, si paulo lautius erat convivium, argentea, aurea, gemmea (v. Eratosth. ap. Ath. XI, 482, b).

Commemorantur plura craterum genera, ut Lesbii et Argolici ap. Herodot. IV, 61 et 152, Thericlei in fr. Alexidis ap. Ath. XI, 472, a, Laconici et Corinthii in pompa

---

*) Non male Isidorus l. l.: "Cratera calix est duas habens ansas."

Ptolemæi ap. Ath. V, 198, d, sed nomina tantum; de forma nihil traditur. Ac tamen Panofka putat se, Thericlei et Laconici crateres quales sint, divinare posse, v. Rech. I, 17; VII, 18.

In crateris, quippe quæ et in medio convivio proponerentur et magnitudine insignes essent, mature se exercuerunt artificum ingenia. Theodori, ut putabatur, opera, aureum et argenteum Delphis dedicavit Croesus (Herod. I, 51), neque Samii non operæ pretium habuerunt, crateram rapere Croeso missam a Lacedæmoniis (ibid. 70). Aliæ multæ in Deorum templis dedicatæ et a scriptoribus et in titulis commemorantur. Octavio autem equiti Romano crateram facere volenti Arcesilas exemplar e gypso fecit talento (Plin. H. N. XXXV, 45, 156); quamquam hæc potius ad aquæ usum in fonte videtur destinata, ut Plinii illa in Tusco (Ep. V, 6, 23). Ingentis sæpe magnitudinis erant, ut illæ ap. Herodotum (I, 51; IV, 81), quæ DC amphoras capiebant. Pervenerunt etiam ad nos egregia aliquot exempla ex marmore, ut illa e villa Hadriani (v. Müller. Arch. § 298, 2, 1). Cf. Zoëga Bassiril. II, 71; Millin Mon. I, 31, p. 303. Aeneæ crateræ ex Pompeiis v. Herc. et Pomp. VI, 64, 66, 74, 75, 72, 84. Fictiles permultæ, de quibus post. Nec minus sæpe inveniuntur vel in marmore sculptæ vel in parietibus et vasculis pictæ, tam ad conviviorum usum adhibitæ aut in Bacchicis pompis gestatæ, quam ornamenti causa in columnis aliisve locis positæ.

2. Ψυκτήρ sive ψυγεύς,

ut nomen ipsum indicat, est vas in quo vinum refrigeratur. Bibebant antiqui vinum aut calidum aut frigidum *); in

*) v. Becker. Charicl. I, p. 459 sq. Gall. II, p. 170 sq.

utroque autem delicati homines maxime solliciti erant, et ut calidum quam maxime caleret, et ut frigidum quam maxime frigeret. De calido post videbimus; ad frigus vero nihil efficacius habebatur, quam nix; nam glaciem raro habebant, et Neronis demum inventum erat, decoctam aquam in glaciem convertere (Plin. XIX, 19, 55; XXXI, 23, 40). Nivem autem, quo maioris esset effectus, cum ipso vino miscere non verebantur antiqui (v. Strattis ap. Ath. III, 124, d: *χιόνι μεμιγμένον*, cf. XIII, 579, f), nec, si non semper prorsus pura erat nix, tale vitium curabant frigoris cupidi (v. Plin. XXXI, l. l.). Nive autem ita maxime utebantur, ut per *colum* aut saccum nivis plenum percolarent vinum, v. Martial. XIV, 103, 104; Becker. Gall. II, 170. Duplex est colorum genus, alterum maiorum, quæ crateris imponebantur, ut in marmore Sigeensi (Boeckh. C. I. n. 8): *κρατῆρα κἀπίστατον καὶ ἠθμόν*, et in Æginetico (C. I. n. 2139), quale argenteum Pompeiis inventum est, v. Becker. Gall. tab. 4, n. 9; alterum minorum, quibus ad singula pocula utebantur, v. Epigen. ap. Ath. XI, 469, c: *ψυκτῆρα, κύαθον, κυμβία, ῥυτὰ τέτταρα, ἡδυποτίδας τρεῖς, ἠθμὸν ἀργυροῦν*. Tale colum longo manubrio instructum pictum spectatur in pariete, v. Herc. et Pomp. II, 20; et aenea inventa sunt, vid. Herc. et Pomp. VI, 68. Fictile colum, quod est in museo Regis Daniæ n. 475, v. Letronn. Observ. n. 38, ad minora pertinuisse credo. Nec tamen proprius coli usus erat ad refrigerandum, sed ad liquandum vinum; ille cumulus adiectus est.

Sed quoniam nix nec semper aderat et plerumque magno stabat, utebantur etiam alia refrigerandi ratione, ut vinum in puteum demitteretur, vid. ap. Ath. III, 124, d. Strattis: *ψυχόμενον ἐν τῷ φρέατι*, et Lysippus:

Ὁ πατὴρ ἄνωθεν ἐς τὸ φρέαρ ἡμᾶς δοκεῖ
ὥσπερ τὸν οἶνον τοῦ θέρους καθεικέναι.

Apud Plutarchum (Symp. VI, 4, 1) etiam in nive deponitur vinum. Et hic videtur fuisse usus *τοῦ ψυκτῆρος*.

Apud Suidam quidem est: *ψυκτὴρ ἀπὸ τοῦ θᾶττον ψύχεσθαι ἐν αὐτῷ τὴν κρᾶσιν;* sed nemo non videt, hanc coniecturam esse levissimam ex ipso nomine ductam, quare cedat oportet melioribus. Audiamus autem Pollucem VI, 90. *Ὁ δὲ ψυκτήρ*, inquit, est *πολυθρύλλητος, ὃν καὶ δῖνον ἐκάλουν, ἐν ᾧ ἦν ὁ ἄκρατος· οἱ πολλοὶ δὲ ἀκρατοφόρον αὐτὸν καλοῦσιν· οὐ μὴν ἔχει πυθμένα ἀλλ' ἀστραγαλίσκους.* Videmus, eum prorsus contrarium tradere, merum vinum continuisse; id quod confirmatur scriptorum locis. Vid. Menander ap. Ath. XI, 502, e:

ἄκρατον, ἐβόων, τὴν μεγάλην· ψυκτῆρά τις
προὔπινεν αὐτοῖς, ἀθλίους ἀπώλλυεν.

Cf. mutilum fragmentum incerti scriptoris ibid. d: *παραμηκύνειν ἐπιχειροῦντος τοῦ Ἀρχεβούλου εὐκαιρότατα προχέων ὁ παῖς τοῦ οἰναρίου ἀνατρέπει τὸν ψυκτῆρα.* Usum videmus in Antiphanis fr. ex Carne (503, b, c), ubi primo vulgari modo bibunt, vinum ex psyctere haustum cyatho in pocula infundentes — aqua aut iam erat in poculo, aut post admiscebatur, v. Becker. Char. I, 464 — mox quum acrius potare libuerit, præter cadum et poculum omnia auferunt. Alios scriptorum locos citat Athenæus p. 502, d —503, d. Ac ne quis putet, hoc nomen Pollucis ætate fuisse ignotum, legitur apud Clementem Alexandrinum (Pædagog. II, 3, p. 188 Potter.): *Ἐρρέτων τοίνυν Θηρίκλειοί τινες κύλικες καὶ Ἀντιγονίδες, κάνθαροί τε καὶ λαβρώνιοι καὶ λεπασταὶ καὶ τῶν ἐκπωμάτων εἴδη τὰ μύρια· ψυκτῆρές τε ἐπὶ τούτοις καὶ οἰνοχόαι.* Nec tamen videtur illo tempore admodum vulgaris fuisse usus, nam quum Phylarchus

ap. Ath. IV, 142, d. sic descripsisset Cleomenis coenam: *ἐπί τε τῷ τρίποδι ψυκτήρ χαλκοῦς ἐπέκειτο καὶ κάδος καὶ σκάφιον ἀργυροῦν δύο κοτύλας χωροῦν καὶ κύαθος, ἡ δ' ἐπίχυσις χαλκῆ,* Plutarchus in Cleom. (p. 1486 Steph.) suo tempore notiora ponens non pauca mutat: *ἐπαρθείσης τῆς τραπέζης εἰσεκομίζετο τρίπους, κρατῆρα χαλκοῦν ἔχων οἴνου μεστὸν καὶ φιάλας ἀργυρᾶς δικοτύλας δύο.*

Mirificam celebritatem assecutus est psycter, ut Pollux eum *πολυθρύλλητον* dicat, Platonis loco in Convivio p. 214, A, ubi Alcibiades maximum psyctera arripit et epotum Socrati tradit. Notatur similis intemperantia in fr. Menandri supra laudato, et in Alexidis ap. Ath. X, 431, f: *λουτρόν ἐστιν, οὐ πότος, ψυκτῆρι πίνειν καὶ κάδοις, θάνατος μὲν οὖν.* Ex talibus locis non miror, antiquos grammaticos effecisse, psyctera esse poculum, sed miror, ne Letronnium quidem eum errorem cavisse Ephem. Er. 1833, p. 613: "le mot psycter designait aussi un vase à boire", quum ipsi loci demonstrent, quia pocula non satis magna visa essent, maius vas esse arreptum. Nam fuit sane magnitudo psycteris non exigua; Alcibiadis ille octo plus heminas capiebat; *τρικότυλος* est Alex. ap. Ath. 502; quamquam idem vanam ostentationem pauperis hominis ridens commemorat argenteum *ψυκτηρίδιον* pondere duorum obolorum, ibid. f. (Rectius fortasse scribitur *δέκ' ὀβόλους* VI, 230, c). Nunquam nisi aenei et argentei psycteres commemorantur.

Si formam psycteris quærimus, primum accurata extat descriptio apud schol. Clementis l. l., quem Müllerus sequitur in Arch. 209, f; quod miror sane, nam videtur profecto iste homo, inani se iactans ostentatione, narrare ea quæ non scierit; saltem scholiastæ Clementis, ubi cum Polluce pugnat, nulla est auctoritas. *Ψυκτήρ,* inquit, *κυλινδρικοῦ σχήματος κατατομή (?), κάτωθεν κιονίδι ἐπὶ*

πρίσματι (?) *κυλινδρικῷ ἑδραζομένη, ἀφ' οὗ καὶ ἑστάναι καὶ μεταχειρισθῆναι ἐστὶν αὐτῇ πρόχειρον.* Quæ quamquam fateor me non intelligere, tamen longe videntur abesse a Polluce, qui dicit, non pedem habere, sed *ἀστραγαλίσκους*, i. e. globulos, ut recte docuit Letronn. p. 612. Eadem *κάρυα* videntur appellata in inscriptione Seleuci, quam idem V. D. affert p. 689: *ψυκτὴρ βαρβαρικὸς λιθοκόλλητος... ἔχων ἀποπεπτωκότα κάρυα ἑπτά.* — Confert fortasse aliquid ad formam intelligendam, quod legimus ap. Ath. 503, b, Antiphanis equites, ephippio substrato, pileum pro psyctere habuisse. Clarius loquitur Hesychius: *κάλαθος· ποτήριον ὃ καὶ ψυκτήρ.* Calathus enim, cuius forma ex capitulo columnæ Corinthiæ nota est (Vitr. IV, 1), non solum lanam mulieribus servabat, sed erat etiam vini vas, maxime in sacris usurpatum; v. Athen. XI, 467, f; Virgil. Bucol. 5, 71: "Vina novum fundam calathis Ariusia nectar", et epigramma Martialis XIV, 107 de calathis:

Nos satyri, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,
Perfusos domini lambere docta pedes.

Spectatur in Hercul. et Pomp. III, 57 Satyrus cum ligneo calatho; sæpius spectantur iuvenes succincti, quos Lares putant, e rhytiis vinum in calathos fundentes, v. ibid. IV, 10, 36; VI, 47. Calathus ex thyrso pendet IV, 12; alia exempla v. III, 29, 41. Pulcherrimum exemplar ex ære extat VI, 71.

His igitur similes fuerunt psycteres, et Letronnius psycteras putat eos, qui tam frequenter conspiciuntur in vasis posterioris et Italici generis, in quibus etiam hoc aptissimum est, quod non pede sed globulis sustentantur. Ex magno exemplorum numero sufficiat attulisse Mus. Blacas tab. 9; cf. Panofk. Rech. VII, 14, et in Vasis Englefieldii, quæ delineavit Moses, tab. 12. Restat tamen incerti aliquid,

quoniam hoc vas non semper ad vinum, sed etiam ad alias res portandas, ut poma, ut bellaria adhibitum videtur, v. Passeri. Mon. Etrusc. III, 206; Cab. Pourtalés, 10. Quare præstat fortasse, calathos appellare. Inter fictilia ne quis psycteras quærat, ut fecit Pan. IV, 16, prius quærendum est, num unquam fictiles fuerint.

Extat in museo Regis nostri augustissimi vas pulcherrimum Volcis inventum, quod quia singulari prorsus ratione comparatum est, in tabula huic libro annexa delineandum curavimus. Nam extrinsecus intuenti amphoræ speciem præbet, intus vero in duo vasa divisum est, alterum internum, externum alterum illud medium complectens. Huius in superiore parte os est, per quod infundatur liquor, in imo autem fundo foramen est parvulum, ubi plenum vas erat, obturamento clausum, hoc vero extracto, effluenti liquori viam aperiens. Limes corpus vasis paulo infra medium cingens indicio est, tripodi impositum fuisse. Bröndstedius, quem sequitur Letronnius in Ephem. Er. 1833, p. 613, not. 1, hoc vas *ψυκτῆρα* fuisse putabat, nivemque in medio vase inclusam exteriori vino aliquid ex frigore suo impertivisse. Sed præterquam quod nulla unquam similis refrigerandi ratio apud antiquos indicatur, nec sane apta fuit eiusmodi ratio multo minus efficax quam eæ, quas vulgo in usu fuisse vidimus, ut nix aut vino circumdaretur, aut in ipsum vinum demitteretur, nec omnino foramen illud in fundo vasis idoneum est, cuius identidem extrahatur et reponatur obturamentum; si hanc ad rem destinatum fuisset, necesse erat non in ipso fundo esset foramen, sed in inferiore parte lateris, ut in Pompeiano illo *θερμαντῆρι*, quem infra commemorabimus; ex hoc autem patet liquorem emissum fuisse, cuius nullus esset usus. — Fieri potest, ut ad vinum refrigerandum hoc vase ita sint usi, ut vinum in

media cratera inclusum frigida aqua fuerit circumdatum. Nec tamen equidem repugnabo, si quis ad usum prorsus contrarium adhibitum putaverit, ad calfaciendum, aqua calida vinum aliumve liquorem ambiente, quæ ne calorem amitteret, igne subiecto caveri poterat. Hoc tamen monebo, nullum omnino fuliginis vestigium in vase apparere.

3. Δῖνος

a *δινέω*, ut *κύλιξ* a *κυλίνδω*, male apud Athenæum aliosque *δεῖνος* scribitur, quum illa forma et apud Pollucem et Aristophanem in probatissimis libris extet. Docet Dionysius Tryphonis f. apud Ath. XI, 503, c: *τὸν ψυγέα ἐκάλουν οἱ ἀρχαῖοι δῖνον*; idem apud Pollucem vidimus; repetit etiam Suidas. Erat igitur *δῖνος* non poculum, sed maius vas merum vinum non per longum tempus servans, sed usus causa sustinens. Magnitudinem quoque videmus; nam in fr. Dionysii Sinopensis ap. Ath. XI, 467, d. est *δῖνος μέγας χωρῶν μετρήτην*. In Aristoph. Vespis 618 Philocleo dum suum habeat *ὄνον* (v. supr. p. 58) vini plenum, spernit filii *δῖνον*; intelligo maius vini vas, unde toti familiæ distribuitur vinum, cuius potestatem habet filius. Similis usus erat *δίνου* illius in *φροντιστηρίῳ* Socratis (Nub. 1473). Alia exempla vid. ap. Athenæum l. l. — Socratis ille vilis et testaceus fuit; sed ut psycter, ita dinus interdum pretiosior erat, ut argenteus ap. Ath. 467, e. Nam quod psyctera et dinon eundem esse dicunt, hoc ad usum puto referendum esse; forma sine dubio diversa fuit.

In definienda forma huius vasis non sane multum adiuvamur a Strattide ap. Ath. 467, e, qui Creontis sinciput comparat *δίνῳ περὶ κάτω τετραμμένῳ*, quoniam nescimus, quale Creontis sinciput fuerit. Nam hoc quidem certum est, formam capitis spectatam esse, eadem fere ratione, qua

Cratinus ap. Plutarchum (Pericl. 13) Periclem dicit Odeum in capite gerere, nec probare debebat Letronnius (l. l. p. 614) Schweighäuseri interpretationem, Creontis sinciput comparari poculo inverso, utpote vacuum et sine cerebro, h. e. sine mente; prius demonstrandum erit, antiquos sinciput pro mentis sede habuisse. — Verum de forma dini si grammaticos consulimus, dupliciter traditur. Nam schol. ad Ar. Nub. 280 docet, *κεραμεοῦν* esse *βάθυ ποτήριον, ὃ καλεῖται δῖνος, ὅπερ ἄνω εὐρύτερον ὂν κάτω εἰς ὀξὺ λήγει,* quibuscum conferri poterat Antiphanis versus de pileo psycteris usum præbente ap. Ath. 503, b. Contra alii tradunt, non in acutum desisse, sed rotundum fuisse infra, ut Schol. Ar. Vesp. 618: *δῖνος δέ ἐστιν ἀγγεῖόν τι κεράμειον οἴνου, οἷον πρόχυμα* (?), *βάσιν οὐκ ἔχον, ἀλλὰ κάτωθεν ὑπότροχον.* Et fortasse plus quam coniecturæ sunt, quæ legimus apud scholl. Nub. 1474: *μηχάνημα ὀστράκινον ὥσπερ σφαῖραν,* et *περιφερὲς ὡς χύτραν;* nam ap. Ath. XI, 467, f. auctor est Philetas, Cyrenæos *δῖνον* appellasse *τὸν ποδανιπτῆρα,* qui sane in acutum desinere non potest. Quare recte fortasse Panofka (Rech. I, 15), dinos appellavit rotunda illa vasa, quæ Volcis inventa sunt ex antiquo Attico genere, peculiari pedi imposita; nec Letronnius l. l. aliud contra affert argumentum, nisi falsam opinionem, dinon esse poculum. Gerhardus autem sine ulla causa *σκάφην* et *ὅλμον* hoc vas appellavit (Rap. Volc. n. 29; Ult. R. n. 26).

Fictilia ad hanc partem pertinentia permulta ad nostram ætatem pervenerunt. Horum tria maxime genera commemoranda sunt.

I.

In primo genere corpus, amphoris pinguius, abscisa superiore parte, collum latissimum habet impositum; ansæ utrinque binæ a corpore ad summum labrum surgentes, columnarum paribus non dissi-

miles, apud Italos his crateris pepererunt nomen "vasi a colonnette". Inveniuntur talia vasa et ex rudi artis genere et ex Attico; posteriore tempore interdum ea ratione ornata, quam in amphoris vidimus (p. 52, a), ut ansæ superne in volutæ modum formatæ infra in aures desinant. Exempla v. Panofk. Rech. I, 21; Gerhard. Rap. n. 27; Ult. R. nn. 15 et 9. Crateras esse hæc vasa, et ipsa species ostendit, et picti homines ex talibus vinum haurientes (v. Pan. Rech. VI, 6; Pourtalés, 34).

Huic generi Panofka et Gerhardus (qui uberius opinionem suam defendit in Antiquis Monumentis Berol. I, p. 352—56) nomen dederunt κελέβην, arrepto antiquissimo et Æolicæ originis vocabulo, cuius vim etiam Athenæus (XI, 475, c) se nescire fatetur. Quum vero antiquorum alii alia coniectent, ut Suidas pelvim, Dionysius Gracilis procerum poculum esse, nemo de cratera quidquam cogitavit, neque hoc cum ullo ex iis locis, qui proferuntur, convenit, in quibus aut ad vinum infundendum (ap. Anacreontem), aut ad aquam hauriendam (ap. Antimachum) κελέβην usurpatam videmus. Si quid de ignoto vocabulo statuendum est, præstat, antiquiorem auctorem sequi, Dionysium.

II.

Alterum genus separatum collum corpori impositum non habet, sed corpus uno tenore a minore ambitu in latius os se aperiens. Vix invenitur nisi ex eleganti Attico et ex Italico genere. Non ansis, sed auribus tollitur. Hoc genus duplex est; nam aut

1) Corpus craterae ex angusta radice surgens, sed, ubi satis intumuit, eundem orbis ambitum assidue servans, labro tantum patentiore addito, similitudinem quandam campanæ, quam hodie dicimus, refert. Aures in superiore parte paulo infra labrum appositæ sunt. Exempla v. Panofk. Rech. I, 38; Gerh. Ult. R. n. 19, qui falso oxybapha appellarunt, ambiguis quibusdam inducti litterarum signis in pede talis craterae irrasis.

2) Aut vas nunquam eundem ambitum servans, semper magis magisque se pandens, quasi ex calyce quodam surgit, a lilii floris similitudine non abhorrens. "Vaso a calico" Itali dicunt. Aures habet interdum satis magnas inferiori parti appositas. Exempla v. Pan. Rech. I, n. 17; Gerh. Ult. R. n. 18.

III.

Tertium genus habet corpus satis tumidum, os paulo restrictius, collum aut parvum aut nullum, aures duas. Sunt perraro antiquioris, sæpe perfectioris artis Atticæ. Exempla v. Panofk. Rech. III, 23; Gerhard. Rap. n. 28; Ult. R. n. 16. Antiquum vas (Pan. II, 20), quod guttum habet operculo impositum, iam commemoravimus p. 75. — Inveniuntur ex Italico genere similia vasa, sed, Attica illa simplicitate remota, nulla iam opificibus elegantia satisfaciebat. Nam et aures in altitudinem eriguntur et operculum alte fastigatur sæpe aliis superstructis minoribus vasculis. Exempla v. Gerhard. Ult. R. 17; Panofk. III, 52; Gargiul. Cenni, tab. 9.

Talia vasa si non crateræ, at ἀκρατοφόρου vicem præstitisse, demonstrat egregium exemplar ex Campania (vid. Gerh. "Neapels Antiken" III, p. 463; Panofk. Rech. VII, 2), in quo, quum inventum est, inerat adhuc cyathus. In hoc vase picta spectantur ante Bacchi hermam duo eiusdemmodi vasa mensae imposita, unde mulier corona hederacea et caprina pelle ornata vinum cyatho libans in scyphum infundit; adest etiam cantharus. — Quæ posterioris ætatis sunt, magnam partem ornatus causa confecta videntur. — Itali hæc vasa ollas dicunt, quod non admodum vitupero, nam ollarum formam persimilem fuisse videbimus. Quæ autem a Panofka et Gerhardo proponuntur nomina, κναθίς et στάμνος, ea quam falsa sint, sub his vocabulis videre licet.

Singulare quoddam vas ad craterarum genus pertinens, quadrifariam ansatum, v. ap. Pan. I, 25; de rotundis quibusdam supra diximus p. 83.

---

§ 2.

De vasis in quibus coquuntur et calefiunt liquores.

1. Λέβης

iam ex Homero vulgo notus est. Usus eius est ad manus pedesque lavandos, ut in frequenti illo:

χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα,
καλῇ, χρυσείῃ, ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος,

et Od. τ, 386: *γρηῦς δὲ λέβηθ' ἕλε παμφανόωντα, τῷ πόδας ἐξαπένιζεν.* Alter usus non minus frequens est ad coquendum et calefaciendum, ut Il. φ, 362:

Ὡς δὲ λέβης ζεῖ ἔνδον ἐπειγόμενος πυρὶ πολλῷ,
κνίσσην μελδόμενος ἁπαλοτρεφέος σιάλοιο.

Cf. Æschyli fr. ap. Ath. II, 37, f:

τὸν μὲν τρίπους ἐδέξατ' οἰκεῖος λέβης,
αἰεὶ φυλάσσων τὴν ὑπὲρ πυρὸς στάσιν.

Ex abrupto loco definiri non potest, utrum verba *τὸν μὲν ἐδέξατο* de cineribus mortui intelligenda sint, ad quos servandos etiam alibi Æschylus aenis usus est (v. p. 48), an de alia re, ut de Pelia a Medea recocto. Hic videmus lebeta tribus pedibus instructum; vulgo, autem nec pes nec ansa aderat, sed super ignem sustentabatur supposito tripode: quæ imago in antiquis monumentis frequentissime occurrit, ut lebetis forma, si qua alia, certa sit. Nam quod Letronnius (Eph. Er. 1833, p. 730, not. 1) dicit, lebeta apud Homerum esse ollam tripedem coquinariam, admiror, virum doctissimum ex eo, quod Homerus ollas non nominet, efficere, ut ollas lebetas appellaverit. Multum sane interest inter apertam aeni et clausam ollæ speciem.

Quod ad materiam attinet, semper ex metallis facti nominantur lebetes. Argentei sunt apud Homericos reges ad manus lavandas, vulgo autem aenei, unde Romani aena dicunt. Homerici semper pretiosi, dicuntur *αἴθωνες* (Il. ι, 123), *παμφανόωντες* (ψ, 613); et legimus Il. ψ, 885: *βοὸς ἄξιον ἀνθεμόεντα.* Quamquam igitur non tripodum pretium æquabant, tamen non minus quam illi certaminum præmia proponebantur, v. Il. ψ, 262 sqq.; Pind. Isthm. I, 20.

2. Χύτρα,

a χέω appellata, est vas in quod infunditur. Rarior forma χύτρος ad sensum non differt; mansit in Bacchanalibus; nam tertius Anthesteriorum dies dicebatur Χύτροι, v. Arist. Ran. 218, Ach. 1076, et schol. ad Ach. 961 et 1076.

Χύτρα, quæ Latinorum *olla* est, usum habet maxime vulgarem et ad aquam calfaciendam, ut Arist. Acharn. 1175: ὕδωρ ἐν χυτριδίῳ θερμαίνετε, et imprimis ad coquenda cibaria, ut Ar. Eq. 745: ἕψοντος ἑτέρου τὴν χύτραν ὑφειλόμην. Carnis ollam κρεάδιον dixit Ar. Plut. 227, v. schol.; sed ἀθάρης χύτρας legimus in Plut. 673, βόλβων in Eccl. 1092, ἔτνους in Av. 78, Ran. 505, Eccl. 845, Ach. 284, Eq. 1173, ubi fartor in blandiendi certamine:

Ὦ Δῆμ', inquit, ἐναργῶς ἡ θεός σ' ἐπισκοπεῖ,
καὶ νῦν ὑπερέχει σου χύτραν ζωμοῦ πλέαν.

Non iam manum, ut ap. Homerum, neque ἀλκάν, ut ap. Æschyl. Sept. 197, super populum tenet Deus, sed ollam pultis; adeo enim corrupta erat plebs Atheniensis, ut nihil curaret præter panem et numos, quod ipse fatetur in respondendo:

Οἴει γὰρ οἰκεῖσθ' ἂν ἔτι τήνδε τὴν πόλιν,
εἰ μὴ φανερῶς ἡμῶν ὑπερεῖχε τὴν χύτραν.

Male quidam de inversæ ollæ similitudine cum galea cogitant, quasi puls super caput eius fuerit effundenda.

Commemorantur ollæ in culina præterea apud Aristophanem in Pluto extremo, in Vesp. vv. 938, 828: ἡ Θρᾷττα προσκαύσασα πρώην τὴν χύτραν, 904 de cane: ἀγαθός γ' ὑλακτεῖν καὶ διαλείχειν τὰς χύτρας, cf. Schol. ad Eq. 1034. — Pertinuisse omnino ollas ad vulgarem supellectilem, qua nemo carere posset, videmus et apud Deos, ut in Pace 202 Mercurius:

τὰ λοιπὰ τηρῶ σκευάρια τὰ τῶν θεῶν,
χυτρίδια καὶ σανίδια κἀμφορείδια,

et apud homines, ut Ran. 983, Plut. 812, Eccl. 734, 745. In Acharn. 453 Dicæopolis quum Telephi Euripidei habitum imitaturus miserrima quæque conquirit, petit etiam χυτρίδιον σφογγίῳ βεβυσμένον: ridiculam sane paupertatem, quæ non habuerit, quo rimas obturaret, nisi spongiam!

Ignem in ollis ferunt senes arcem oppugnaturi in Lysistr. 297, 308, 315. (Noti sunt Italorum "foconi", v. Bröndstedii "Reise i Grækenland" I, p. 12.) — In Thesm. 505 et 509 obstetrix mulieri puerum, quem subdat, in olla conditum affert. Exponebantur infantes in ollis, v. Beckeri Charicl. II, p. 396, qui laudat Moerin p. 102: ἐγχυτρισμός, ἡ τοῦ βρέφους ἔκθεσις, ἐπεὶ ἐν χύτραις ἐξετίθεντο, et schol. ad Arist. Vesp. 289. Quod autem apud Aristophanem chorus iudicem hortatur de facinoroso homine: ὃν ὅπως ἐγχυτριεῖς, fieri potest ut poëta etiam de calculo cogitaverit in sitellam (ollam) deiecto, sed propria huius verbi vis est in funeribus, ubi ex Minoe Platonico (p. 315, D) novimus antiquitus adhibitas fuisse mulieres quasdam ἐγχυτριστρίας, quæ videntur mactatæ hostiæ sanguine aspersisse mortuum lustrationis causa, quo purior ad inferos veniret. Nam ex pluribus coniecturis, quas affert scholiasta Platonis p. 336 Bekker., hæc vera videtur, quæ cum Platonis verbis convenit: ὅσαι τοὺς ἐναγεῖς καθαίρουσιν, αἷμα ἐπιχέοντες τοῦ ἱερείου. Conferri potest lustratio in Æschyli Eumenidibus v. 444. Alii aliter de hoc nomine censent, vid. præter Stallbaumium ad Platonis locum (vol. IX, p. 372) Lobeckius in Aglaophamo p. 632. Hesychius easdem videtur dicere ἐγκυλικιστρίας.

Quum præcipuus et vulgatissimus ollarum usus in culina esset, tum adhibebantur etiam ad mensam. Nam

bibisse antiquos *ἐκ χυτρῶν*, vel potius *ἐκ χυτρίδων*, novimus ex Herodot. V, 88, qui legem affert Argivorum: *ἐκ χυτρίδων ἐπιχωριέων τὸ λοιπὸν πίνειν*, et ex Alexide et Meleagro ab Ath. 502, b et c. citatis. Nec dubitamus, quin in maioribus *χύτραις* puls, legumina, alia cibaria apposita fuerint; quamquam nullum disertum huius rei testimonium extat, nisi forte in mentione sacri cuiusdam moris.

Erant enim ut penates apud Romanos, ita apud Græcos in quavis domo *Διὸς Ἑρκείου*, *Κτησίου*, aliorum rei familiaris præsidum Deorum, ut Pluti ap. Aristoph. v. 1197, simulacra rudia, plerumque hermarum specie. His quasi inferioribus Diis sacra fiebant non admodum magnifica, sed e media domo et ex ipso foco petita, quæ etiam pauperes facere possent. In consecratione (*ἱδρύσει*) horum Deorum moris erat, ut quum ollas coxissent pultis, leguminum aliarumve rerum, easque solenni pompa gestassent, primitias dedicarent: *ἕψοντες ὄσπρια ἀπήρχοντο τούτων, τοῖς ἀφιδρυμένοις χαριστήρια ἀπονέμοντες τῆς πρώτης διαίτης.* Schol. ad Ar. Pac. 923, Plut. 1197. Præter hos Aristophanis locos citant etiam versus ex eiusdem Danaidibus:

μαρτύρομαι δὲ Ζηνὸς Ἑρκείου χύτρας,
μεθ᾽ ὧν ὁ βωμὸς οὗτος ἱδρύθη ποτέ.

Huc pertinet etiam Av. 43, ubi Pisthetærus et Euelpides novas sedes quærentes vagantur *κανοῦν ἔχοντε καὶ χύτραν καὶ μυρρίνας.* Commemoratur eadem res apud Ath. XI, 473, c, ubi Anticlides præcipit *καδίσκῳ* novo utendum esse, de ollis non loquitur; quamquam totus locus misere corruptus videtur. Sanctæ erant hæ ollæ et religiosæ, quare in Ar. Av. 357 sqq. homines, adorientibus avibus, primum omnium sacram ollam sibi prætendunt, ita confisi noctuam saltem, Minervæ sanctam avem, se non aggressuram esse; ac ne induciis quidem factis longius ab olla discedere audent v. 391.

Ollæ proprie ex argilla fiebant. Olympiæ quidem in templo Junonis dedicatus erat *ἀργυροῦς χύτρος* (v. Ath. XI, 480, a), Calvusque orator ap. Plin. H. N. XXXIII, 49, 140 vasa coquinaria ex argento fieri quiritat; sed illud ita legitimum fuit, ut vox *χύτρας* et quæ inde derivata sunt pro universo fictilium vasorum genere dici potuerint. *Χύτραι* in foro venibant (v. supr. p. 16); *χύτρειος πάταγος* in Ar. Lys. 329 dicitur de strepitu urnarum ad fontem fractarum; cf. Nub. 1474: *οἴμοι δείλαιος, ὅτε καὶ σὲ χυτρεοῦν ὄντα θεὸν ἡγησάμην*, de testaceo dino. Etiam figuli *χυτρεῖς* dicuntur, v. Plat. Rep. IV, 421, D; Theæt. 147, a; similiter *χυτροπλάθος*, *χυτροπώλης*, alia.

Quæ igni imponenda erant, rudis plerumque et simplicis operis erant, nec typis nec coloribus ornatæ, utpote quæ brevi fuligine forent obscuratæ. Quare proverbium erat de summa inopia *μηδὲν ἔχειν ἄλλο ἢ χύτρας ὀμφαλούς* aut *πίθου πόδας*, quorum utraque nusquam sunt (v. Schol. ad Ar. Av. 798), et de opera prorsus inutili *χύτραν ποικίλλειν* v. Schol. ad Vesp. 279. Sed hoc in culinæ usu; quæ mensis imponendæ erant ollæ, non magis quam cetera vasa ornamentis carere poterant.

De specie ollæ non multa ab antiquis traduntur. Legimus ap. Pollucem VI, 97, tumida latera *ἄμβωνας* esse vocata; præterea ollis duæ aures erant; nam *χύτραν φιλεῖν* dicebatur, si quis comprehensis alterius auribus basiaret, v. Poll. X, 100 et Hemsterh. ad h. l. Quare ut nomen ad hunc diem inter Italos permansit, ita ne speciem quidem admodum mutatam esse arbitror. Nec desunt exempla antiqua.

Mirere igitur, Gerhardum Rap. Volc. no. 56—58 patellas et arculas quasdam chytrarum nomine signavisse. Panofka Rech. 1, 28 multo propius a vero abesse videtur. Mihi quidem semper olla cum lasano visum est vas illud quod

Panofka (Rech. V, 22) *θερμοποτίδα* appellat, obscuro nomine, quod tantum apud grammaticos invenitur. Hi vero hoc nomen, utpote vulgo notum, non explicant, sed utuntur eo ad alia ignota vasa explicanda. Quare locis iis, quos citat Panofka, quibus addi potest, si libet, Schol. ad Ar. Ach. 671, nihil omnino adiuvamur, nisi forte Pamphili verbis ap. Ath. XI, 475, d: *κελέβην* esse *τὸ ποτήριον θερμοποτίδα καλουμένην*. Quodsi recte suspicati sumus (p. 84), *κελέβην* esse procerum poculum, etiam nomen *θερμοποτίς* congruere videtur, i. e. vas ex quo calda bibitur. Illud vero Panofkæ vas non ad bibendum, sed ad coquendum aptum est, quare ollam dicere ausim.

3. *Θερμαντήρ.*

Jam vidimus, quanta cura fuerit antiquis vini refrigerandi; nec in calida potione minor fuit cura, ut aqua vel cito caleret vel calida maneret. Hunc in finem vasa facta sunt sæpe admodum artificiosa. Audiamus Senecam Nat. Quæst. III, 24. "Facere solemus dracones et miliaria et complures formas, in quibus ære tenui fistulas struimus per declive circumdatas, ut sæpe eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat spatii, quantum efficiendo calori sat est; frigida itaque intrat, effluit calida". Sed ne hoc solum genus fuisse putemus, Pompeiis inventum est aeneum vas iis machinis, quibus hodie utimur ad aquam calidam servandam, simillimum, v. Herc. et Pomp. VI, 77; Becker. Gall. II, p. 175, tab. 4, n. 10. Fistula media carbones continuit, vas exterius aquam. Quo nomine Latini tale vas appellaverint, ignoramus; sed videtur recte caldarium appellari posse, quæ vox significat locum in balneis, qui aquam calidam habet. Beckerus Græcum nomen quærens *ἰπνολέβητα* vocavit, admodum infeliciter. Finxerunt enim

hoc nomen Græculi quidam verborum fabricatores ad significanda miliaria Romanorum, irrisi ob eam rem ab Athenæo III, 98, c, et a Luciano in Lexiphan. 8. Nomen simplex et vulgatum est *θερμαντήρ*, quod primo loco ponit Poll. X, 66 in enumerandis vasis, *ἐν οἷς θερμαίνεται τὸ ὕδωρ;* ex ære factum vocabatur etiam *χαλκίον θερμαντήριον* (Poll. l. l.); quale dedicatum erat Æginæ in templo Iovis, qui putatur, Panhellenii, v. titulus a Bröndstedio repertus v. 14 (Müller. Æginet. p. 160; Boeckh. C. I. n. 2139).

§ 3.

De iis quibus imponebantur crateræ, lebetes, ollæ.

1. *Ὑποκρατήριον.*

Crateras uno alto pede subnixas supra vidimus (p. 83 sq.); verum ubi latior erat ambitus, interdum tres pedes magis convenire videbantur. Commemoratur ab Herodoto IV, 152 Lacedæmoniorum cratera tribus gigantibus sustentata; et Pompeiis inventa quædam (Herc. et Pomp. VI, 64) tribus sphingibus portatur. Sed hæc cum ipsa cratera coniuncta sunt. Interdum vero cratera prorsus pede carens peculiari cuidam basi ad id ipsum factæ imponitur. Tale *ὑποκρατήριον* ferreum cum cratera argentea Delphis dedicaverat Alyattes rex, nobilissimum Glauci opus, quod Herodot. I, 25 ait esse *θέης ἄξιον διὰ πάντων τῶν ἐν Δελφοῖσι ἀναθημάτων*, Pausanias autem X, 16 init. accuratius describit. *Σχῆμα*, inquit, *τοῦ ὑποθήματος κατὰ πύργον μάλιστα ἐς μύουρον ἀνιόντα ἀπὸ εὐρυτέρου τοῦ κάτω· ἑκάστη δὲ πλευρὰ τοῦ ὑποθήματος οὐ διὰ πάσης πέφρακται, ἀλλά εἰσιν αἱ πλάγιαι τοῦ σιδήρου ζῶναι, ὥσπερ ἐν κλίμακι οἱ ἀναβασμοί· τὰ δὲ ἐλάσματα τοῦ σιδήρου τὰ ὀρθὰ ἀνέστραπται κατὰ τὰ ἄκρα ἐς τὸ ἐκτός.* Ab hac descriptione non

multum abhorrent fictilia hypocrateria, quibus impositæ sunt rotundæ illæ craterae, quos dinos esse putavimus, v. supr. p. 83. Commemorantur sæpius hypocrateria inter donária templorum, v. Boeckh. Corp. Inscr. I, 8, p. 20; et Franz. Elementa epigraphices p. 79.

2. Ἐπίστατον

in Sigeensis marmoris inferiore parte dicitur quod in superiore est ὑποκρητήριον (Boeckh. C. I. n. 8; Franz. Elem. n. 32). Legitur idem in Ar. Av. 436: εἰς τὸν ἰπνὸν εἴσω πλησίον τοὐπιστάτου. Recte antiqui quidam grammatici interpretati sunt τρίποδα χαλκοῦν, ᾧ ἐπιτιθέασι τὸν λέβητα καὶ ὑποκαίουσιν. Callistrati quidem opinio, esse lignum ex quo pendeant instrumenta culinaria, ex ipso Aristophanis loco orta videtur; eorum autem error, qui ἀνδριάντα πήλινον intelligunt, ex eo quod nominativum statuerint ὁ ἐπιστάτης, non τὸ ἐπίστατον.

3. Τρίπους

μηχανή ἐστι τρεῖς βάσεις ἔχουσα, ut ait Diodorus Siculus XVI, 26, quem sane morosus est quod vituperat Müllerus (de tripode Delphico p. 5). Neque enim simplicius neque verius quidquam poterat dici. Omne instrumentum, quod tres pedes habebat, tripus dicebatur; etiam mensa tripes, quæ proprie erat τράπεζα τρίπους, ita dicta est ab Hesiodo ap. Ath. II, 49, b, Xenophonte Anab. VII, 3, 21, Phylarcho ap. Ath. IV, 142, d, Pausania V, 12, 3, Polluce VI, 83, fortasse etiam ab Aristophane Eccl. 744. — Sed proprie τρίπους dicebantur tres pedes coniuncti, quibus aenum imponeretur, ut igne supposito sive aqua sive aliud quidvis calefieret aut coqueretur. Nec pedes tantum, sed plerumque pedes uno cum aeno imposito tripus dicitur. Inde ἐμπυ-

ριβῆται a poëta dicuntur tripodes, quasi qui ignem scandant; λοετροχόοι autem sunt, quibus aqua ad lavandi usum calefit.

Hoc ut vulgare tripodum genus est, ita unum Homero notum, quamquam grammatici inde ab Asclepiade Myrleano ap. Ath. XI, 501, c (hic enim, quod sciam, antiquissimus auctor est) usque ad Müllerum duo genera distingvunt, ἀπύρους et ἐμπυριβήτας — debebant saltem ἐμπύρους dicere ut Pollux X, 81. Ἀπύρους autem statuunt esse, qui non sint igni imponendi, et Homerum putant eadem ratione divisisse tripodes, qua Pollux (VI, 7) artes, alias ἀπύρους, alias ἐμπύρους esse dicens. Vix credo. Est enim ἄπυρος Homero idem atque ἀπύρωτος, i. e. igni nondum admotus, novus. Hoc clarissime apparet ex Il. ψ, 267:

αὐτὰρ τῷ τριτάτῳ ἄπυρον κατέθηκε λέβητα,
καλόν, τέσσαρα μέτρα κεχανδότα, λευκὸν ἔτ' αὔτως,

ubi laudatur aenum candidum adhuc, non fuligine nigrum, quia nondum igni admotum fuit.

At enim, inquiunt (Müllerus p. 8, Rostius in Dammii lexico p. 1115), in Il. ι, 122 sibi opponuntur ἄπυροι τρίποδες et αἴθωνες λέβητες. Equidem nullam oppositionem video. An quia lebes tripodi imponi potest, tripus est? Donat Agamemno Achilli septem novos tripodes et viginti aena splendentia. Quid simplicius est? Tamen inde effecerunt, illos tripodes fuisse crateras *), v. Athen. II, 37, f. Sed craterae nunquam tripodes dicti sunt, nec in tam frequenti craterarum et tripodum mentione apud Homerum ullum est

*) Quod Müllerus p. 6 τρίποδας λέβητας et τρίποδας κρατῆρας dixit, miror eum istam substantivorum appositionem Græcam habuisse; nec simile quidquam apud scriptores legitur, nam in Æschyli fr. ap. Ath. II, 37, f. τρίπους adiectivum est.

talis confusionis vestigium. Quare recte Müllerus p. 8 hoc Philochori commentum repudiavit; ipse vero putat, eos ædibus exornandis factos esse, anathematicos fuisse. Sed hoc cum illorum temporum simplicitate minime convenit, ut vasa conficiantur vani ornamenti causa, nullum verum in usum. Etiam ubi in Deorum templis tripodes, craterae, alia dedicabantur, utilitatis causa dedicabantur, quibus in festis diebus et solennibus epulis uterentur. Mox ut in opulenta domo plura erant vasa, quam quæ postulabat quotidianus usus; et hic sane luxus et ornatus dici poterat; sed nec alia vasa in templis dedicabant, aliis vulgo utebantur, nec peculiare genus fuit anathematicorum tripodum. Fuerint maiores, fuerint splendidiores, eiusdem profecto generis fuerunt. Quod autem Semo Delius ap. Ath. II, 38, a. et Callixinus in describenda Ptolemæi pompa (p. 198, c. et 199, d). Pythicos sive Delphicos tripodes commemorant, non peculiare genus significare videntur, sed permanserunt in sacris antiqui illi tripodes, quum iam in vulgari vitæ usu minus commodi visi essent. Nihil prorsus interfuisse inter Delphicos sacrosque tripodes et vulgare genus, clarissime demonstrant imagines ex antiquitate relictæ; neque enim ullus invenitur nec sculptus nec pictus tripus, cui non aenum impositum sit. Et si antiquos scriptores consuluerimus, inveniemus etiam Delphico tripodi ὅλμον sive cortinam fuisse impositam, et Pythiam in cortina sedentem vaticinatam esse.

De holmo tripodis nolumus longi esse, quoniam multo plura disputarunt VV. DD., quam opus erat. Müllerus etiam negare ausus est id quod omnibus testimoniis probatur, ὅλμον a Latinis cortinam esse appellatum, statuitque, abacum esse, non aenum. Ei recte obloquitur Bröndstedius in Itiner. I, p. 115 sqq., quamquam et ipse plura addit,

quæ omittere melius fuerat, ut de superiore quodam holmo, qui nunquam fuit. Est autem *ὅλμος* (qui ab *Fείλω, ἑλίσσω* ortus est*), ut primaria sit *volvendi* significatio) pila sive mortarium (Hdt. I, 200), magnum vas maxime rustici usus (Hesiod. Op. 423; Poll. I, 245; Athen. XIV, 648, f), vel ligneum (Ar. Vesp. 238), vel fictile (Poll. X, 122), vel lapideum (Hesych. s. v.); Delphicum aeneum fuisse necesse est. Propter huius vasis similitudinem etiam alia *ὅλμοι* dicebantur, ut pars quædam tibiæ (Poll. IV, 70), cava dentium (id. II, 93), thorax humani corporis (id. II, 162). Si quid ex his potest effici, videtur *ὅλμος* satis altus fuisse, id quod confirmatur aliquatenus numo quodam Delphorum ap. Bröndst. l. l. p. 120. Nec tamen audeo uni exemplo nimis confidere, quum in ceteris omnibus monumentis nihil conspiciatur a vulgari aeno diversum. — Panofkam, cui Athenæi locus XI, 494, b (Hesychii repetitio nullius est momenti) satis fuit, ut ex holmo poculum faceret (Rech. III, 49), et Gerhardum, qui ipse vidit opinionem suam fundamento carere (Rap. 29; Ult. R. 26), refutare non est opus.

Sed ut ad tripodem ipsum revertamur, nulla facile ex antiquis monumentis notior est imago. Tres pedes transtris quibusdam coniuncti superne circulum habent, quo sustentatur aenum. "Eidem circulo," inquit Müllerus p. 13, "insistunt ansæ sive anuli erecti, vel singulis pedibus, vel eorum intervallis superpositi. Unde tripodes nomen *ὠτώεντων* (Il. *ψ*, 264, 513; cf. *σ*, 378) accepisse constat." Etiam his anulis sæpe alter circulus impositus est. V. præter numos maxime anaglypha, quæ sculptum habent Herculem cum Apolline de tripode certantem (v. Mülleri

*) Male Buttmannus (Lexilog. I, p. 195, not. 6) ab *ἀλέω* deducit, quod et ipsum ab *Fείλω* derivatum est.

Archæol. § 362 not. 2; Petersen de tripode Delphico in Comment. societatis scientiarum Danicæ vol. IV).

Reperta sunt fictilia quædam vasa in lebetum modum rotunda, tribus adminiculis fulta, quæ et species ipsa et nigra interdum fuligo destinata fuisse monstrat, quæ igni imponerentur (v. Pan. Rech. III, 56; Gerh. Rap. n. 45; Stackelberg Gräber d. H. tab. 15). Hæc si quis tripedes lebetes appellaverit, non repugnabo. Alii repetti sunt tripodes maiores, ex ære facti magna cum arte, quos Delphicos appellaverim. Exemplar Metaponti inventum v. in Cab. Pourtalés tab. 13. Alter Pompeianus (Herc. et Pomp. VI, 90) non circulum, sed recta transtra superne habet, ut non ad aenum recipiendum, sed ad abacum imponendum fuerit destinatus. Nam quum illud genus ex vulgari vita obsolevisset, hic mensarum usus permansit, de quo videatur imprimis Pollux X, 81; talesque videntur, quas Romani Delphicas mensas appellabant, ut marmoreæ ap. Cic. Verr. IV, 59, 131, aeneæ in inscriptione ap. Grut. p. 1115.

4. *Χυτρόπους.*

Ut aenum, ubi igni admovendum erat, tripodi imponebatur, ita ollæ etiam simili instrumento supra ignem sustentabantur. Talis *χυτρόπους* iam ab Hesiodo commemoratur Op. 748:

μηδ' ἀπὸ χυτροπόδων ἀνεπιρρέκτων ἀνελόντα
ἔσθειν μηδὲ λόεσθαι· ἐπεὶ καὶ τοῖς ἔνι ποινή,

ubi poëta præcipit, neve cibus coquatur, neve aqua ad lavandum calefiat in foculo, quo non prius ad divinam rem sint usi. Erat hoc nomen etiam inferioribus temporibus vulgatissimum, ut inter alia docent loci Pollucis X, 99, et Scholl. ad Ar. Pac. 893, Av. 436, Plut. 815, Ran. 506; quamquam in hoc loco interpolator antiquorum scholiorum

ridiculum ignorantiæ specimen edidit; nam quum antiquior grammaticus *τορύνην* posuisset, posterior addidit: *τορύνη δὲ ὁ χυτρόπους,* quod prorsus falsum est, nam *τορύνη* est rudicula.

5. *Λάσανον.*

Τὸν καλούμενον χυτροπόδα ἔστι μὲν καὶ λάσανα κεκλημένον εὑρεῖν, tradit Pollux X, 99; recte, excepto quod *λάσανον* dicere debebat. Sequuntur eum Moeris p. 250, Hesychius, Suidas. Sed ne solis grammaticis confidamus, confirmantur testimonia eorum ab ipsis antiquis scriptoribus. Afferunt Dioclis versum: *ἀπὸ λασάνων θερμὴν ἀφαιρήσω χύτραν,* et legimus in Ar. Pac. 891:

Τουτὶ δ' ὅρα τοὐπτάνιον ἡμῖν ὡς καλόν.
Διὰ ταῦτα καὶ κεκάπνικ' ἄρ'· ἐντεῦθεν γὰρ ἦ
πρὸ τοῦ πολέμου τὰ λάσανα τῇ βουλῇ ποτέ.

Dicit poëta, caminum fuligine nigrum esse, quia ibi fuerint lasana; quivis videt, ea significari, quibus ollæ imponantur. Neque alio sensu Horatius Sat. I, 6, 109 dixit, Tullium rus proficiscentem quinque servos secum habere "lasanum portantes oenophorumque". Homo sordidus secum habebat omnia quæ ad coenam parandam pertinerent, ne in cauponas deverti cogeretur. Male scholiasta eam huic nomini vim tribuit, quæ postea vulgata erat (v. Poll. X, 44, al.), intellexitque "vas in quo exoneratur venter". Isto sane carere poterat sordidus prætor.

Caput tertium.

De vasis quibus distribuuntur liquores ex maioribus in minora vasa.

Horum duplex genus est. Alia maiorem liquoris vim capiunt, nec uno tenore effundendam; contra, quum semel impleta sunt, sæpius ex iis funditur: alia statim tota exhauriuntur, nec quidquam in se retinent; imo ne sufficit quidem unus haustus, sed sæpius repetatur necesse est. In illis fundendi actio maxime spectatur, in his hauriendi, quare illa vasa *ἀπὸ τοῦ χεῖν* dicebantur *χόες, οἰνοχόαι, πρόχοι, ἐπιχύσεις,* hæc *ἀπὸ τοῦ ἀρύειν ἀρύταιναι, ἀρύστιχοι,* alia; his etiam *κοτύλαι* et *κύαθοι* annumerandi sunt. Apud Latinos nulla talis nominum convenientia; illud genus urceos, urceolos, guttos dicebant, hoc truas, trullas, simpula.

De Latinis nominibus hæc monere liceat. *Urceis* semper unam ansam esse; quod tenendum est in illo Horatii (A. P. 21): "amphora coepit institui, currente rota cur urceus exit?" Adeo enim infelix est figulus, ut non solum minus vas, quam propositum fuerat, sed prope dimidiatum efficiat. *Truas* autem quidam male putarunt ut cola perforatas fuisse, inducti contorta Varronis (L. L. V, § 118) derivatione: "quod travolat eà aqua"; sed Varro nihil voluit aliud, nisi aquam ex maiore vase in minus transferri; addit enim ipse: "qua e culina in lavatrinam aquam fundunt". Videntur trua et diminativum trulla et truleum, quæ pelvis est, ab rotunda et patenti specie esse appellata (v. Varr. l. l.).

§ 1.

De vasis quibus funduntur liquores.

1. *Χοῦς*

non extat apud Pollucem (VI, 19) in enumeratione vasorum quibus hauritur vinum: *ἀρυστήρ, ἀρύστιχος, ἔφηβος, οἰνήρυσις, κοτύλη, λεπαστή* (quæ non huc pertinet), *οἰνοχόη, κύαθος*, sed ponitur inter vasa quibus servatur vinum (X, 73). Maluimus nos tamen huc referre et propter nomen et propter usum, quoniam funditur inde in ipsa pocula; ille magnitudinem spectasse videtur. Atque magnos fuisse *τοὺς χόας* inde patet, quod etiam mensuram indicat hæc vox, congium Latinorum, sex sextarios capientem; quamquam graviter erraverit, si quis ea vasa, quorum nomina mensuram indicant, semper eiusdem magnitudinis fuisse putaverit. Fecerat etiam poëtarum aliquis mentionem *χοὸς δiξέστου*, qui Suidam in eum errorem induxit, ut ad ea verba notaret: *χοῦς γὰρ δύο ξέσται, χοεὺς δὲ ἕξ*, quæ distinctio prorsus nihili est; quin etiam nominativi forma *χοεύς* grammaticis ipsis deberi videtur.

Χοῦς maior erat, quam quo ex cratera vinum hauriretur: in his ipsis urceis temperabatur vinum. V. Eubulus ap. Ath. XI, 473, e:

κεράσαι κελεύσας τὸν κάπηλόν μοι χόα
ὀβολοῦ, παραθεῖναί θ' ὡς μέγιστον κάνθαρον.

Idemque fieri videtur apud Aristophanem in Acharn. 1068. Atque hanc causam afferebant Græci, cur alter Anthesteriorum dies *Χόες* dictus esset, Oresten interfecta matre Athenas venisse, Pandione rege quum maxime Lenæa agente; qui quum neque miserum exulem repellere vellet, neque ex eadem bibere cratera cum eo, qui matrem interfecisset, suum cuique convivæ *χόα* apponi iussisse (v. Schol. ad Ar. Ach. 961).

Erat *χοῦς* vini vas apud Atticos usitatissimum; quamquam omiserunt hanc significationem in lexicis et Passovius et Papius. Cratinus ap. Ath. 494, c. eum inter vulgaria vasa vinaria nominat; cf. Ar. Pac. 537. In eiusdem Equit. 95 vinosus Demosthenes *χόα* postulat, ut mentem irriget et callidi aliquid dicat; nec Cleoni, ubi *ἀκράτου οἴνου χόα* bibit, animus deest ad vexandos eos, qui exercitui præsunt in Pylo (ibid. 355); eodemque se thorace armat Dicæopolis in Acharn. 1133. Maxime in Bacchanalibus propter magnitudinem his urceis utebantur; tum enim ad coenam euntes cistam cibi plenam et *χόα* vini secum portabant, v. Ar. Ach. 1086: *ἐπὶ δεῖπνον ταχὺ βάδιζε τὴν κίστην λαβὼν καὶ τὸν χόα*, et schol. ad v. 961; cf. Anaxandrid. ap. Ath. XI, 482, d: *δὸς δὴ τὸν χό' αὐτῷ σύγκωμε*. Tum certabant, quis primus urceum ebiberet, præmio poposito utre pleno, v. Ar. Ach. 1000, 1202, 1227. — Nec soli Attici hoc vocabulo utuntur; utuntur Crates et Euphronius ap. Ath. XI, 495, c; nec recentioribus grammaticis ignotum esse, intelliget, qui eos inspexerit.

Χόες semper fictiles fuisse videntur, v. Poll. X, 122. De forma nihil affirmare ausim, nisi unam ansam habuisse, quod usus flagitare videtur, quamquam Panofka (Rech. IV, 27) amphoram hoc nomine appellavit.

2. *Οἰνοχόη*

minus erat vas, quo in crateram demerso vinique impleto singulis convivis ministrabatur vinum. Hoc sæpius conspicitur imaginibus expressum, ut in vasculis ap. Pan. Rech. VI, 6; Pourtalés, 34. Commemoratur *οἰνοχόη* primum illo Hesiodi loco, de quo egimus p. 75: *μηδέ ποτ' οἰνοχόην τιθέμεν κρητῆρος ὕπερθεν·* tum in fr. Eupolidis ap. Schol. Ar. Nub. 179 de Socrate: *Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν*

οἰνοχόῃν ἔκλεψεν· Thucydid. VI, 46, 3: ἐπέδειξεν τὰ ἀναθήματα, φιάλας καὶ οἰνοχόας καὶ θυμιατήρια, quicum conferenda, quæ citat Athenæus XI, 479, f: Ναὸς Μεταποντίνων, ἐν ᾧ φιάλαι ἀργυραῖ ἑκατὸν τριάκοντα δύο, οἰνοχόαι ἀργυραῖ δύο, et mox: οἰνοχόῃ χρυσῇ. Et in recensu donariorum Hecatompedi posteriore C. I. n. 150, col. 1, v. 30: οἰνοχόαι ἀργυραῖ. In Ptolemæi pompa sunt Satyri et Silenes φέροντες οἱ μὲν οἰνοχόας, οἱ δὲ φιάλας (Ath. V, 199, b). Extat nomen præterea in fr. Hermippi ap. Poll. X, 122 inter aenea vasa, et in frr. Cratetis et Polemonis ap. Ath. XI, 495, b et 474 d.

Spectantur sæpe in vasis pictæ mulieres ex talibus guttis vinum in pateras fundentes libandi causa. Nec servæ hanc operam præstant; in antiquioribus videmus etiam Dianam Apollini vinum ministrantem, v. Gerh. "Auserlesene Vasenbilder" I, 28—30. Aliud extat nobilissimum exemplum in zophoro Parthenonis, ubi spectantur mulieres Athenienses pateras guttosque gestantes, quas male quidam putarunt esse mulieres τῶν μετοίκων σκαφηφόρους et ὑδριαφόρους, quamquam nec pelves urnæque sunt quæ portantur, nec contemptæ peregrinæ tantum honorem assequi potuerunt, ut in Deorum templis dedicarentur. Quodsi hæ fuerunt Athenienses mulieres, patet idem statuendum esse de iis, quæ umbellas gerunt.

3. Πρόχους

est omne vas ex quo liquor effunditur, quare et οἰνοχόας complectitur et gutturnia, quibus Festus ait aquam ad lavandas manus effundi. Et hic quidem usus notus est ex illo versu, qui tam sæpe recurrit apud Homerum: χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα καλῇ χρυσείῃ. Aquæ vas est etiam ap. Hesiod. Theog. 785, et Arist. Nub. 272:

εἴτ᾽ ἄρα Νείλου προχοὰς ὑδάτων χρυσέαις ἀρύτεσθε πρόχουσιν. Cf. Poll. X, 46. *Χιόνος πρόχους* est fr. Anaxandridis ap. Ath. IV, 131, v. 26. Vini vas est apud Hom. Od. σ, 398: *ὁ δ᾽ ἄρ᾽ οἰνοχόον βάλε χεῖρα δεξιτερήν, πρόχοος δὲ χάμαι βόμβησε πεσοῦσα·* item in fr. Antimachi ap. Ath. XI, 468, b. et Ionis ibid. 496, c, qui habet formam *προχύτην*, quod mire admodum Simaristus grammaticus et Athenæus *ἔκπωμα* esse voluerunt; quin etiam hoc confirmari putant Xenophontis verbis in Cyrop. VIII, 8, 10: *ἦν αὐτοῖς νόμιμον μηδὲ προχοΐδας εἰσφέρεσθαι εἰς τὰ συμπόσια,* ubi manifesto significantur *οἰνοχόαι*; noluerunt enim temperantes homines, pocula semper denuo impleri. Cf. etiam Cyrop. V, 2, 7; Clitarchus ap. Ath. 495, c; Sophocles Antig. v. 430:

ἐξ εὐκροτήτου χαλκέας ἄρδην πρόχου
χοαῖσι τρισπόνδοισι τὸν νέκυν στέφει.

Etiam olei vas fuit, ut Suidas: *λήκυθος τὸ προχούδιον παρὰ τὸ ἔλαιον κεύθειν.*

4. Ἐπίχυσις

fere idem significasse videtur, sed est vox inferioris ætatis. Primo significat ipsam infusionem liquoris, et certum libationis genus in honorem alicuius susceptum, de quo v. Schweighäuser ad Ath. IV, 162; tum et eam partem vasis, ex qua effunditur liquor, ut in fr. Aristophanis ap. Polluc. X, 109: *ἐπίχυσις τοῦ χαλκίου* — quamquam grammaticus *ἓν τῶν μαγειρικῶν σκευῶν* esse putat; imo *τὸ χαλκίον* vas est, *ἡ ἐπίχυσις* pars eius, quam nos dicimus "Tuden" — et vas ipsum ex quo funditur; v. Phylarch. ap. Ath. IV, 142, d: *ἡ δ᾽ ἐπίχυσις χαλκῆ*, et Menander ibid. XI, 484, d: *ἤδη δ᾽ ἐπίχυσις, διάλιθοι λαβρώνιοι κ. τ. λ.* Susceperunt nomen Romani, vid Plaut. Rud. V, 2, 32, et Varro

de L. L. V, 124: "Qui vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis guttum appellarunt; qui sumebant minutatim, a sumendo simpulum nominarunt. In huiusce locum in conviviis successit epichysis et cyathus; in sacrificiis remansit guttus et simpulum." — Etiam olei vas erat, ἐλαιηρὰ ἐπίχυσις, ut est ap. Polluc. VI, 103 et X, 92, quam Eupolis et Aristophanes tantummodo materiæ nomine χαλκίον dixerant. — De aquario vase hoc nomen non inveni.

In recensendis fictilibus, quæ ad hoc genus pertinent, duo genera distinguenda sunt, alterum lato ore ad vinum et aquam aptum, alterum angusto ore ad oleum aliosque liquores aptius. Si quis distincta nomina impense postulaverit, possit illas οἰνοχόας, has ἐπιχύσεις appellare, quamquam neutrum accurate dici vidimus.

I.

1. Illud genus os habet aut simplex (ut Pan. V, 102; Gerh. Rap. 33; Ult. R. 35), aut effusionis causa longe procurrens (ut Gerh. Rap. 32), aut triplex in pampinei folii similitudinem formatum (ut Pan. V, 101; Gerh. Rap. 30 et 31, Ult. R. 33 et 34). Huic generi vulgo tribuunt nomen *nasiternis*, quas dictas putant quia tres nasos haberent, ratione formandi nominis minime Latina — debebat esse trinasuta vel simile quid —. Hæc vox duplici sigma scribenda est, nec a naso derivatur, sed a nassa, quæ est "piscatorii vasis genus, quo quum intravit piscis, exire non potest" (Fest.).

2. In his maxime urceolis formandis lusit ingenium Græcorum artificum, nec pingendi arte contenti etiam plasticam adiunxerunt. Iam in perantiquo vasculo (Gerh. Rap. n. 32) sub erecta ansa extat protome mulieris ostium procurrens brachiis amplectentis; cf. Herc. et Pomp. III, 20. Ansa in varias animalium species effingitur, ut in vase ap. Millingen Peintures de vases, tab. 2; aenea exempla sunt in Herc. et Pomp. VI, 83. Sæpe corpus ipsum caput humanum est, ut Gerh. Ult. R. 37. Maxima autem arte facta alia maxime in ipsa Attica reperta Bacchum exhibent inter vites latentem, cum cane ludentem, alia quævis agentem, Caryatidas, Amorem, Venerem marinam,

Europam, alia, v. Stackelberg Gräber d. H. tab. 49—52; Cabinet Pourtalés 28.

II.

Alterum genus duplex est. Ut illud semper ansam habet.

1. Aut duo ora habet, alterum quod recipiat, alterum quod emittat liquorem, ut Pan. II, 45; III, 55 et 96 *). Illud sæpe coli instar perforatum est.

2. Aut unum modo os est, idque aut longo collo a corpore discretum (ut Gerh. Ult. R. 36), aut breve et quod effusioni sufficiat (ut Pan. II, 43, 44; Gerh. Ult. R. 40, 41; Gargiulo Collezione delle forme tav. III et IV delle classi). Etiam hic variis animalium figuris lusum est, velut avis extat in Cab. Pourtalés 39, mulier Æthiopica lavans et chela cancri ibid. 30.

§ 2.

De vasis quibus hauriuntur liquores.

1. Ἀρύταινα, ἀρύβαλλος

Τὰ τῶν βαλανείων ἀγγεῖα, inquit Poll. VII, 166, *ἀρύβαλλος, ἀρύταινα·* in lib. X, 63 addit etiam *κατάχυτλον*. Citat grammaticus Aristophanem auctorem, cuius hæc sunt in Equit. 1090, sqq.

ΚΛΕΩΝ.

Ἀλλ' ἐγὼ εἶδον ὄναρ, καὶ μοὐδόκει ἡ θεὸς αὐτὴ
τοῦ δήμου καταχεῖν ἀρυταίνῃ πλουθυγίειαν.

ΑΛΛΑΝΤΟΠΩΛΗΣ.

Νὴ Δία καὶ γὰρ ἐγώ· καί μοὐδόκει ἡ θεὸς αὐτὴ
ἐκ πόλεως ἐλθεῖν, καὶ γλαῦξ αὐτῇ 'πικαθῆσθαι,
εἶτα κατασπένδειν κατὰ τῆς κεφαλῆς ἀρυβάλλῳ
ἀμβροσίαν κατὰ σοῦ, κατὰ τούτου δὲ σκοροδάλμην.

*) Panofka appellat *χώνην κωθονοειδῆ* nomine et prorsus ficto et male ficto, nam *χώνη* est infundibulum.

Affert Pollux lib. X. eiusdem poetæ versiculum: *βαλανεὺς ὤθει ταῖς ἀρυταίναις.* Laudatur porro Theophrastus Char. 9: *Δεινὸς δὲ καὶ πρὸς τὰ χαλκεῖα τὰ ἐν τῷ βαλανείῳ προσελθὼν καὶ βάψας ἀρύταιναν βοῶντος τοῦ βαλανέως αὐτὸς αὑτοῦ καταχέασθαι.* In *ἀρυταίνῃ* igitur nulla est dubitatio quin erraverit schol. Aristoph. interpretans: *χαλκοῦν σκεῦος, ᾧ τὸ ἔλαιον ἐγχέουσιν εἰς τοὺς λύχνους.* Fuit magnum vas, quo in balneis aquam haurirent et super lavantes effunderent, haustrum, si Lucretiano vocabulo uti licet. Quod autem Beckerus (Charicl. II, p. 144) affirmat, *ἀρύταιναν* esse situlam eam, quæ spectetur in vase picta tab. 4, n. 1, sane argumenta requiro.

Etiam in *ἀρυβάλλῳ* Pollucem sequor, nec puto multo ab illa diversum fuisse, non solum propter viri auctoritatem, sed etiam propter etymologiam nominis, et propter rationem loci Aristophanei; quum enim insiciarius id semper spectet, ut perpetuo maiora pollicendo Cleonem vincat, non videtur magno illius haustro parvam ampullam substituere potuisse. Quare lusus forsitan poëtæ alicuius sit, quod marsupium ita est appellatum, ac nescio an nil nisi coniectura grammaticorum, quod docent (ut Athen. XI, 783, f), *ἀρύβαλλον* esse *ποτήριον κάτωθεν εὐρύτερον, ἄνω δὲ συνηγμένον, ὡς τὰ σύσπαστα βαλάντια, ἃ καὶ αὐτὰ διὰ τὴν ὁμοιότητα ἀρυβάλλους τινὲς καλοῦσι.* Consentit schol. Ar.: *πλεκτόν τι βαλάντιον ὅπερ ἑλκόμενον κλείεται καὶ ἀνοίγεται, παρὰ τὸ ἀρύειν καὶ βάλλειν*, et Hesych.: *ἀρυβαλίδα λήκυθον Δωριεῖς, οἱ δὲ μάρσυππον.* — Quod igitur Panofka (Rech. V, 95) et Gerhardus (Rap. 59—61; Ult. R. 42, 43) ampullas olearias globosa forma, quas Itali "vasi a pallo" dicunt, aryballos appellarunt, non solum ignotum et mature obsoletum nomen posuerunt, sed, ut opinor, prorsus falsum.

2. Ἀρύστιχος

minor erat, ad vinum hauriendum aptus. Recte igitur Schol. Ar. Vesp. 855: ἀγγεῖόν ἐστιν, ᾧ ἔστιν ἀρύσασθαι, κοτύλη ἢ κύαθος. Alter οἰνοχόην interpretatur, minus accurate, ut videtur. Cf. Pollux VI, 19; Hesych., al. Talibus trullis, quia quummaxime adsunt, Philocleo in Vespis l. l. utitur pro sitellis iudiciariis. — Panofka (R. V, 98) ampullam quandam hoc nomine appellavit, quod ut recte improbat Letronnius (Eph. Er. 1833, p. 618), ita vehementer errat, quod poëticum hoc vocabulum dixit. His saltem in rebus iure quæri potest, ut ait Horatius (Sat. I, 4, 45), comoedia poëma sit, necne. Refellitur etiam sculptis monumentis, nam in marmore Æginetico ap. Boeckh. C. I. n. 2139 extrema verba sunt ἀρύστιχος, ἠθμός. Fortasse proprie adiectivum fuit, quoniam Athenæus X, 424, c. ex Phrynicho citat κύλιχ' ἀρύστιχον, sed ex tam abrupto loco nihil concludi potest.

Alia nomina ex ἀρύειν derivata eandem habent vim, ut ἀρυτήρ Herodoti (II, 168), ἄρυσις Sophoclis (Ath. XI, 783, f), ἀρυστήρ Simonidis, ἀρυσάνη Timonis (Ath. X, 424, b), ἀρυστρίς Aristonici (VI, 306).

Οἰνήρυσιν dixit Aristophanes Ach. 1067, ubi schol.: τὴν τοῦ οἴνου κοτύλην, ᾗ ἀρύονται. Eiusdem generis fuerunt vascula, quibus puls et ius hauriebantur, ἐτνήρυσις (Ar. Ach. 245) et ζωμήρυσις (Anaxipp. ap. Ath. IV, 169, b).

Τὸν ἀρύστιχον etiam ἔφηβον vocatum esse docemur a schol. Ar. Vesp. 855. Sed videtur male explicare rationem nominis, ἥβην dicens antiquos appellasse τὸ τέρπεσθαι κατὰ τὰς εὐωχίας, quod minime credo; potius nomen pueri adolescentis vinum ministrantis (v. Ath. X, 424, e) ad urceolum ministratorium traductum est. Usus erat hoc vocabulo Zenophanes quidam ap. Ath. X, 424, c, et Stephanus

comicus XI, 469, b, qui eos *δυσχερεῖς* appellat, i. e. graves, propter magnitudinem opinor, qui facile ebrios redderent, quicum congruit quod cum Rhodiacis poculis, quæ magna fuerunt, componuntur.

Ἐμβασικοίταν eundem dicebant. Errat H. Stephanus transitivam vim huic vocabulo tribuens, "quod potantes faceret *ἐμβαίνειν τὰς κοίτας*"; nec minus errant recentissimi thesauri editores, propter obscoenum Petronii lusum (cap. 24) etiam speciem huic vasculo tribuentes obscoenam. Verum *κοίτη* non solum hominum erat, sed etiam cibariorum (*κίστη*), ut docet Pollux X, 91, et, ut opinor, vini. Videtur igitur hoc vas, quod in crateram demitteretur et quasi lectum vini conscenderet, *ἐμβασικοίτας* dictus.

3. *Κοτύλη* sive *κότυλος*.

Apollodorus ap. Ath. XI, 479, a. *πᾶν τὸ κοῖλον*, inquit, *κοτύλην ἐκάλουν οἱ παλαιοί*, male, quoniam tam infinita et late patens notio in primariis nominibus non est. *Κοτύλη* proprie trullam significat; sed propter trullæ quandam similitudinem etiam aliæ res cavæ *κοτύλαι* dictæ sunt, ut acetabulum femoris, v. Hom. Il. *ε*, 305:

Τῷ βάλεν Αἰνείαο κατ' ἰσχίον ἔνθα τε μηρὸς
ἰσχίῳ ἐνστρέφεται, κοτύλην δέ τέ μιν καλέουσιν.

Alii eundem *ἄλεισον* et *κύλικα* dicebant, v. Ath. XI, 479, c, sed vulgatissimum nomen erat *κοτυλήδων* (v. Ar. Vesp. 1495; Aristot. Hist. animal. I, 13; III, 7), quo nomine etiam cava illa dicebantur in brachiis polypodum, quibus prehendunt et complectuntur. Similitudinis causa etiam ludus dictus *ἐν κοτύλῃ*, ubi, qui victus erat, post tergum retortis manibus victorem portare debebat, flexis genibus cava manuum quasi acetabula prementem; v. Apollodor. ap.

Ath. 479, a; Hesych. *ἐν κοτύλῃ* et *ἐφεδρίζειν*; Eustath. ad Il. *χ*, p. 1389; pictus videtur hic ludus in vase quodam in Mon. Ined. Instituti Rom. I, 47, B. — Eandem similitudinem secutus est Æschylus, quum cymbala dixit *χαλκοδέτους κοτύλας*, v. Ath. 479, b.

Iam in superioribus vidimus, *κοτύλην* dici vas quo hauriretur vinum (Pol. VI, 19; Schol. Ar. Vesp. 855, Acharn. 1067.) Confirmat hoc Eratosthenes ap. Ath. XI, 482, b: *κυάθῳ μὲν οὐδὲν ἐχρῶντο, οὐδὲ κοτύλῃ*, et Homerus in Il. *ψ*, 34, *κοτυλήρυτον αἷμα* dicens, i. e. sanguinem largiter fluentem quasi trullis haustum. Sed non admodum parva erant hæc vasa; nam ubi mensuram indicat cotyle sive hemina, dimidia est pars sextarii. Quare non ad hauriendum solum, sed etiam ad bibendum trullis utebantur. Apud Homerum videmus mendicos petentes, ut sibi detur *πύρνος καὶ κοτύλη* (Od. *ο*, 312; *ρ*, 12). In Il. *χ*, 494 Andromache, describens orbum puerum ad patris amicos accedentem, his versibus queritur:

Τῶν δ' ἐλεησάντων κοτύλην τις τυτθὸν ἐπέσχεν.
Χείλεα μέν τ' ἐδίην', ὑπερῴην δ' οὐκ ἐδίηνεν.

Notum est proverbium *πολλὰ μεταξὺ πέλει κοτύλης καὶ χείλεος ἄκρου*, v. Ath. 478, e. Dicæopolis Aristophaneus in Acharn. 459 miseri pauperis speciem præbiturus ab Euripide petit *κοτυλίσκιον τὸ χεῖλος ἀποκεκρουμένον*. — Nec ad vinum tantum cotylis utebantur; nam ex sacratis olivarum ramis, quos lana et fructibus aliisque rebus oneratos ante portas ponebant, etiam mel in cotyle suspensum erat; v. Schol. Ar. Equit. 729, Plut. 1054:

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει καὶ πίονας ἄρτους
καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
καὶ κύλικ' εὔζωρον, ὡς ἂν μεθύουσα καθεύδῃ.

In mysteriis gestabantur κοτυλίσκοι multi varias res continentes, uni maiori agglutinati vasi, cui nomen erat κέρνος*), v. Polemo ap. Ath. 476, f; 478, c.

Κοτύλη et de mensura et de poculo dicitur, κότυλος de poculo tantum. Hunc apud Sicyonios et Tarentinos, apud Ætolos et quosdam Ioniæ populos pervagatum fuisse, tradidit Diodorus grammaticus ap. Ath. 478, b et f. Sed etiam apud Lacedæmonios laudat Eratosthenes (Ath. 482, b) κοτύλους, κάλλιστα καὶ εὐποτώτατα ἐκπωμάτων, ex argilla Coliade; et Atticorum poëtarum, Ionis, Hermippi, Aristophanis, Platonis, Eubuli exempla legûntur ap. Ath. p. 478. Cf. etiam Hom. Epigr. 14, 3:

εὖ δὲ πεπάνθειεν κότυλοι καὶ πάντα κάναστρα.

(Illi proceri sunt, hæc plana.)

Si formam τῆς κοτύλης quærimus æque ad hauriendum atque ad bibendum aptum, Apollodorus (Ath. 479, a) tradit esse ποτηρίου γένος ὑψηλὸν καὶ ἔγκοιλον, et Diodorus (478, e), similem esse λουτηρίῳ βαθεῖ, quæ eadem apud Romanos similitudo est inter trullam et trulleum; nec abhorret earum rerum species, quas ex similitudine κοτύλας dici vidimus. Attamen vix credo, hanc vasis formam necessariam fuisse; illud vero usus necessario postulat, ut una ansa fuerit. Et consentiunt grammatici, ut Diodorus (478, f): ἓν οὖς ἔχειν, Athenæus (478, b): τὰ μόνωτα ποτήρια κότυλοι, Pollux VI, 96 pocula commemorans: τὸ δὲ μόνωτον κοτυλίσκος ὠνομάζετο. Quæ in Diodori locis repugnare videntur, nimis turbata sunt.

*) Κέρνον affirmant conspici ap. Panofk. R. V, 53; nihil tamen affirmandum est, quoniam ex hoc uno loco scire non possumus, quam late patuerit huius nominis vis. Eodem, si non maiore iure poterat κυμινοδόκον appellari ex Nicochare ap. Poll. X, 93 (v. infr. Cap. IV, § 3, 7 extr.)

Cum hac formæ descriptione egregie conveniunt vasa quædam Volcis inventa, una longa ansa instructa, v. Gerhard. Rap. 34, 35; Ult. R. 28. At si verum tradiderunt grammatici, hoc unum nomen esse τοῖς μονώτοις ποτηρίοις, patet, etiam alia multa sic appellanda esse, ut frequentia illa vascula, quæ corporis habent inferiorem partem leniter intumescentem, quamvis minime labro similia sint. — Ceterum quomodo Panofka (IV, 50; III, 51) vasa duobus ansis instructa, Gerhardus autem (Rap. 54) ampullam huc referre potuerit, nemo, ut opinor, intelligit.

4. *Κύαθος*

eundem habebat usum, quem apud antiquos Romanos simpulum, quod Varro (V, 124) dictum putat, quod eo sumerent minutatim. Pollucem vidimus (VI, 19) cyathum nominare inter ea quibus hauritur vinum; Schol. ad Ar. Ach. 1053 κοχλεάριον interpretatur; Athenæus X, 424 ἀντλητῆρα esse probat antiquorum exemplis. Poterant plura addi maxime ex Horatio aliisque Latinis scriptoribus; sed nihil opus est in tam nota re. Refert autem duplicem temperandi vini rationem distinguere; nam ubi in cratera vinum mixtum erat, guttis inde impletis in pocula infundebant; sed ubi in singulis poculis temperandum erat, cyathis merum libabant (v. Ps. Ascon. ad Verr. I, § 66), et hoc est, ut opinor, κυαθίζεσθαι (Ath. 482, b).

In hac re ludendi materia erat, velut quum ad numerum litterarum, quas continebat amatæ puellæ nomen, cyathorum numerum accommodabant, ut in illo Martialis epigrammate (I, 72):

Nævia sex cyathis, septem Iustina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus;

Omnis ab infuso numeretur amica Falerno,
Et quia nulla venit, tu mihi, Somne, veni!

Cyathum cum cratera non convenire, videtur etiam effici ex Eratosthenis loco (Ath. 482, b): *κυάθῳ μὲν οὐδὲν ἐχρῶντο οὐδὲ κοτύλῃ· κρατῆρα γὰρ ἵστασαν κ. τ. λ.*

Cyathus ubi mensuram indicat, est sexta pars cotylæ, eamque arbitror vulgarem fuisse eorum magnitudinem. Quum in splendidioribus conviviis argentei essent (v. Pherecrates et Alexis ap. Ath. 424, b, et 502, f) vel etiam aurei, gemmei, murrhini (quales trullæ ap. Iuvenal. III, 108; Cic. Verr. IV, 27; Plin. XXXII, 7, 20), tum vulgo ex ære erant, ut Hermippus ap. Poll. X, 122 eos inter *χαλκία* nominat. Aenei fuerunt, quos calefactos sugillationibus imponebant medendi causa; de quo videatur schol. ad Ar. Pac. 542: *ὑπωπιασμέναι καὶ κυάθοις προσκείμεναι.* Cf. Lysistr. 444:

εἰ τἄρα νὴ τὴν Φωσφόρον τὴν χεῖρ' ἄκραν
ταύτῃ προσοίσεις, κύαθον αἰτήσεις τάχα·

et Euripid. ap. Poll. X, 108: *ἢ κύαθον ἢ χαλκήλατον ἠθμὸν προσίσχων τοῖσδε τοῖς ὑπωπίοις.*

Speciem cyathi concavam longo manubrio instructam recte ostendit Panofka (R. VII, 5) in vase pictam; cf. Hercul. et Pomp. VI, 93. Non pauci aenei cyathi ad nostrum tempus pervenerunt, v. Beckeri Gall. tab. 4, nn. 7 et 8. In his videmus ansam ad perpendiculum pendentem, sed ne ea quidem vascula, quorum ansa æquoris lineam sequitur, quales usus ille in sugillationibus flagitare videtur, cyathorum nomine privaverim. Tales v. in Herc. et Pomp. VI, 68.

Apud Athenæum XI, 480, b. legimus: *Κυαθὶς κοτι-*

λῶδες ἀγγεῖον· Σώφρων, cuius locus adscriptus est. Placuit hoc ignotum nomen ex Siculo poëta Panofkæ et Gerhardo. Et Panofka quidem, qui in cotyle erravisset, etiam hic erraret necesse erat (v. Rech. III, 52); Gerhardus autem (Rapp. 34—36; Ult. R. 28, 29) vasa posuit re vera *κοτυλώδη*, nam posuit ipsas cotylas.

Caput quartum.

De vasis quæ sustinent liquores et cibaria ad ipsum utendi tempus.

§ 1.

De vasis lavationis.

1. *Λουτήριον*

est vas, quod aquam lavationis continet, nomen tam vulgati usus, quam certæ significationis, ut non dubitem, quin erraverit Pollux VII, 167, quod in Æschyli loco, quem citat, balneum dicit significari. Inde a novæ comoediæ ætate, teste Poll. l. l., frequens est decurtata forma *λουτήρ* — neque enim *λουτήριον* magis deminutivum est quam *ποτήριον*.

Primus *τῶν λουτηρίων* usus est in balneis, v. Becker. Haricl. II, p. 138; cf. tab. 4, n. 1 et 2. Etiam in Hieronis Regis navi legimus ap. Ath. V, 207, f. fuisse *λουτῆρα πέντε μετρητὰς δεχόμενον ποικίλον τοῦ Ταυρομενίτου λίθου.* Nec in medicorum supellectile abesse poterant, v. Poll. X, 46. Ne a conviviis quidem abfuerunt; nam in Ptolemæi pompa (Ath. 199, c) portati sunt *λουτῆρες μεγάλοι δέκα*, et Epigenes (ibid. 486, c) in enumerandis convivii vasis etiam *λουτήρια* ponit, unde Athenæus efficit, *ποτήριον* esse, omnemque enumerationem *ποτηρίων κατάλογον* dicit, quasi cetera quæ nominantur, *κρατῆρες, κάδοι ὁλκεῖα* pocula sint. Male igitur fecit Panofka, quod eum auctorem secutus poculum quoddam, quamquam simillimæ formæ, luterion appellavit Rech. V, 89. Letronnius autem (Ephem. Er. 1833, p. 730) non intelligo qua confidentia

affirmet, ignotam esse formam luterii, quum nulla facile frequentior sit in antiquis monumentis. An dubitari potest, qualia fuerint illa vasa non profunda, sed ampla, alto subnixa pede, quem ὑποστάτην dicunt Pausan. X, 26, 9 et Poll. X, 46. Probat ingens prope numerus pictorum vasorum, ex quibus duo insignia exempla posuit Beckerus Charicl. l. l.

2. Ἀσάμινθος et πύελος.

Magna solia, in quæ toti descendebant (ἐσέβαινον) lavaturi, ἀσαμίνθους dicit Homerus. Erant hæ plerumque, ut opinor, ligneæ, ἐΰξεστοι (Od. δ, 48); sed dives ille Ægyptius argenteas duas dono dedit Menelao (Od. δ, 128). Quod in ridiculum errorem induxit Polluc. VI, 97, ut pocula crederet, eumque confirmavit etiam male intellectus Cratini versus: ἐξ ἀσαμίνθου κύλικος λείβων. Est hic versus ex Chironibus, quæ ingentia monstra, poëta ait, magnis alveis pro poculis uti.

Τὰς ἀσαμίνθους πυέλους interpretantur grammatici, quod nomen et ipsum est ap. Hom. Od. τ, 553: χῆνας — πυρὸν ἐρεπτομένους παρὰ πύελον, ex quo loco effici videtur, minores fuisse τὰς πυέλους. — Postea vulgo dicitur πύελος de solio balneatorio; v. Poll. X, 63; Plutarch. Alex. 20; Aristoph. Equit. 1060; Pac. 843. Habebat certam sedem, a qua non movebatur, quare mulier quædam in Ar. Thesm. 562 sub ea defoderat — ut videtur, partum illegitimum. Aqua sordida per foramen aliquod emittebatur, per quod ne lubricus ille Philocleo effugiat, ridicule metuit filius in Vesp. 141. — De peculiari illo genere, quod commemorat Lycophron ap. Ath. XI, 501, e: ἀπὸ τῶν ὀμφάλων τῶν ἐν ταῖς γυναικείοις πυέλοις, ὅθεν τοῖς σκαφίοις ἀρύουσι, nihil novimus.

3. Σκάφη

quum palam et lintrem significat, tum *alveum*, id est, ut ait Athenæus XI, 499, f. *ἀγγεῖον ξύλινον στρογγύλον* (cf. schol. ad Ar. Equit. 1315). De quo ne dubitemus, conferamus Livii "fluctantem alveum, in quo expositi erant" Romulus et Remus (I, 4), cum Plutarch. Romul. 3: *ἐνθέμενος εἰς σκάφην τὰ βρέφη*.

His alveis et ad alias res et maxime ad lavandum utebantur. Apud Hom. (Od. *ι*, 223) sunt *γαυλοί τε σκαφίδες τε τετυγμένα τοῖς ἐνάμελγεν*. Favos mellis habent apud Theocr. 5, 59, et Antiphan. ap. Ath. IV, 172, c. Sæpe nominantur inter culinaria vasa, ut ap. Ath. IV, 169, b, 170, c; Poll. X, 102; al.; et mactræ quidem usum habebant, v. Scholl. ad Ar. Plut. 545, Nub. 669 et 1248. Ex fr. Aristophanis ap. Poll. X, 76 novimus, antiquos etiam vomendi causa *σκάφας* habuisse. In alveis expositas lucernas suas vendebat Cleonymus in Ar. Eq. 1315. Panathenaicis autem peregrini *σκαφηφόροι*, quos in zophoro Parthenonis spectari communis est opinio (v. Pan. Rech. VII, 67), in alveis portabant favos et ramos oleaginos et alia; de quibus v. Poll. III, 55 et Arist. Eccl. 742, ubi pauper civis omnia vasa sua in forum collaturus pompam quandam instituit in similitudinem Panathenaicæ. Hunc in usum in Hecatompedo dedicatæ erant *σκάφαι χαλκαῖ ἑκατόν*, v. Corp. Inscr. n. 150, v. 45; n. 151, v. 26.

Frequens imprimis est usus *τῆς σκάφης* in lavatione, ut Poll. X, 77 inter ea vasa ponit, quibus pedes abluuntur. Laudat is Æschyli versus ex Sisypho:

Καὶ νίπτρα δὴ χρὴ θεοφόρων ποδῶν φέρειν·
λεοντοβάμων ποῦ σκάφη χαλκήλατος;

i. e. pelvis aenea leoninis pedibus insistens, non, ut mire admodum interpretantur, leonibus. Maxime in morbis si

quis ita ægrotaret, ut iustum balneum ferre non posset, in alveo lavari, σκαφηλουτρεῖσθαι, iubebant medici, v. quæ Stephanus in Thesauro ex Alexandro Tralliano et Coelio Aureliano profert.

Etiam minoribus alveolis, σκαφίοις in balneis utebantur — v. enumeratio Clearchi ap. Ath. XIV, 648, f: σπόγγος, λέβης, σκαφεῖον, ὅλμος, λήκυθος — verum alio modo, non ad pedes lavandos, sed ad aquam hauriendam, v. Lycophr. ap. Ath. 501, e, quem supra citavimus, et nisi fallit opinio, ad oleum recipiendum ex ampulla effusum, quo ungebantur. Nam quod Plautus (Pers. 1, 3, 44) nominat "ampullam, strigilem, scaphium," prorsus tale instrumentum balneatorium ex ampulla constans olearia, quattuor strigilibus, scaphio Pompeiis inventum est v. Becker (Gall. II, p. 47, tab. 1, n. 4; Herc. et Pomp. VI, 87). Hæc quia sic coniuncta sunt, scaphium videtur idem esse atque ἐξάλειπτρον, de quo Pollux VI, 106: τὸ ἀγγεῖον, ᾧ τὸ μῦρον ἐνῆν, φιάλῃ προσεοικός, ἐξάλειπτρον ἐκαλεῖτο, et X, 121: τὸ ἀγγεῖον, εἰς ὃ ἐξεχεῖτο τὸ μῦρον, ἐξάλειπτρον ἐκαλεῖτο, ὡς Ἀριστοφάνης ἐν Ἀχαρνεῦσιν (vs. 1063, ubi male putarunt, idem esse atque vs. 1053 ἀλάβαστον). Recte hoc vocabulum restituit Dindorfius ap. Ath. V, 202, e: ἐξάλειπτρα μεγάλα δέκα. In titulo Æginetico Corp. Inscr. n. 2139, v. 4 legitur: ξύλινα τάδε· ἐξάλειπτρον, κίβωτοι κ. τ. λ.; sed Antiphanes ap. Poll. X, 46 loquitur de aeneis λουτηρίοις, ἐξαλίπτροις, κυλικίσιν. Conspicitur exaliptron pictum in vase ap. D'Hancarvill. II, 74, (et fortasse ap. Millin. Tombeaux de Canosa 3, Müller. Denkm. I, tab. 56, quamquam his pateris nullum est manubrium). Elegantissimum aeneum vas manubrio instructum in Herc. et Pomp. VI, 69 tale scaphium esse arbitror.

Scaphia etiam ad convivia pertinent. Ut enim omit-

tamus Athenæi verba (XI, 475, c), poculum esse dicentis, Phylarchus in describendo victu Cleomenis regis (Ath. IV, 142) commemorat *σκαφίον ἀργυροῦν δύο κοτύλας χωροῦν*, cui Plutarchus (v. supr. p. 79) *φιάλην* substituit. Sed quem in finem in Amphiarai æde scaphia dedicata fuerint (Boeckh. C. I. I, 1570, b), aut cur mulieres in Thesmophoriis scaphia secum habuerint, ignoro; nam Aristophanes in Thesm. v. 633 ludere videtur.

Cum hac forma scaphii, quam in Pompeiano vasculo vidimus, bene congruit, quod legimus, calvas appellatas esse *σκαφία* (Poll. II, 39), et si quis servorum modo ad cutem detonsus esset, dictum esse *σκαφίον ἀποκεκάρθαι* (Ar. Thesm. 838 cum schol.; cf. schol. ad Aves 806). Similiter solarium illud, quod invenit Aristarchus Samius, scaphe sive hemisphærium dictum est (v. Vitruv. IX, 8, 1; Martian. Capell. de Geom. 6, 1; Poll. VI, 110).

Contra ab alvei forma multum abhorret illa cratera, quam Gerhardus scaphen dixit Rap. 29; nec intelligo, quomodo hoc probare potuerit Letronnius in Ephem. 1833, p. 731, not. 4. Non rectius idem V. D. (p. 401) affirmat, duas fuisse species scaphæ prorsus contrarias, proceram et humilem, idque Pollucem putat dicere (X, 103): *ἐν τοῖς Δημιοπράτοις εὑρίσκεται σκάφη μακρὰ καὶ σκάφη στρογγύλη·* verum ille de oblonga et orbiculari forma loquitur, utraque humili.

4. *Λεκάνη*

proprium nomen *pelvis* est, v. Poll. X, 70: *ᾧ τοὺς πόδας ἐναπονιπτόμεθα, λεκάνην ὀνομαστέον·* Phot. *οἱ παλαιοί, ὃ ἡμεῖς λεκάνην, ποδανιπτῆρα ἐκάλουν·* Suidas v. *κελέβη·* al. — Reperitur hoc nomen et sæpe apud scriptores et in variis usibus. In titulo ap. Boeckh. C. I. II, n. 3071, 8 legimus

λεκάνην ἐς ποτήρια καὶ ἄλλην ποδανιπτῆρα, alteram ad pedes lavandos, alteram ad pocula abluenda. Vestimenta purgantur *ἐν λεκάνῃ* sive *πλυνῷ* ap. Schol. ad Ar. Plut. 1061. Hæ pelves lutum vel calcem continent Aristophaneis avibus nova moenia extruentibus (vv. 840, 1143, 1146), hæ picem ad linendos calceos (Vesp. 600). Frequenter vomentibus serviunt; v. Plut. Moral. p. 801, B: *αἰτοῦντα λεκάνην καὶ πτέρον ὅπως ἐμέσῃ*. Cf. Ar. Nub. 906: *Αἰβοῖ, τουτὶ καὶ δὴ χωρεῖ τὸ κακόν· δότε μοι λεκάνην·* Theopomp. ap. Ath. XI, 485, c; imprimis vero Poll. X, 76, qui non solum Cratini versum citat, sed etiam Polyzeli locus, ubi enumerantur varii pelvis usus: *λεκανίῳ γὰρ πρῶτον μὲν ἐναπονίψεις, ἐνεξεμεῖς, ἐνεκπλυνεῖς, ἐναποβάσεις κνανια·* modo ne tam misere corrupta essent extrema verba. Usus *τῆς λεκάνης* in cottabi ludo v. ap. schol. ad Ar. Pac. 1244.

Materia admodum varia est: *ξυλίνην λεκάνην* commemorat Poll. X, 78, fictilem id. X, 122; inter *χαλκώματα* numerat Polyb. XXII, 11, 10; in Ptolemæi pompa (Ath. 197, b) aureæ sunt. — De forma non est quod dubitemus, quoniam in antiquis monumentis et sculptis et pictis minime raro conspiciuntur pelves; videantur Müller. Denkm. I, n. 3 et 4; Panofk. R. VI, 90; hic *λουτήριον* appellat, sed iusto minor videtur. Idem (R. III, 42) et Gerhardus (Ult. R. 32) vasa quædam cibariorum *λεκάνας* dicunt; fortasse non multum abhorrerent a vero, si *λεκανίδας* dixissent.

Minora enim vasa eiusdem generis, *λεκάγια, λεκανίδες, λεκανίσκαι* *patellarum* vicem præstabant. Quamquam igitur huc non pertinent, liceat tamen nominis causa hic commemorare. Poll. VI, 85 clare docet: *τὰς λεγομένας πατέλλας, λεκανίδας ὀνομαστέον*. Alii grammatici, ut Phot.,

Hesych. λοπάδας κεραμέας, τρυβλία interpretantur; cf. schol. ad Ar. Ach. 1110: λεκάνια καὶ λεκανίδας τὰ μείζονα τῶν ὀξυβάφων καὶ ἐκπέταλα. Exempli causa afferamus Aristophanis locum citatum: λεκάνιον λαγῴων κρεῶν· Teleclid. ap. Ath. VI, 268, c, v. 11: λεκανίσκαισιν δ' ἀνάπαιστα παρῆν ἡδυσματίοις κατάπαστα. Ap. Xenoph. (Cyrop. 1, 3, 4) Cyrus ὦ πάππε, inquit, ὅσα πράγματα ἔχεις ἐν τῷ δείπνῳ, εἰ ἀνάγκη σοι ἐπὶ πάντα τὰ λεκάνια ταῦτα διατείνειν τὰς χεῖρας. Peculiarem quendam usum commemorant grammatici, ut Hesychius: Λεκανίδες· κεραμέαι λοπάδες, καὶ ἐν αἷς ἔνθρυπτα ἔφερον τοῖς νεογάμοις· Photius: Κεραμόν· λέγεται ἐπὶ τῶν λεκανίδων. αὗται δέ εἰσιν λεκανίδες κεραμεῖα, παραπλήσια τῇ κατασκευῇ κρατῆρι, ἃς νῦν ὀψοδόκας αἱ γυναῖκες καλοῦσιν· ἀρώματα οὖν εἰς ταύτας ἐμβάλλουσι καὶ στήμονας· κομίζουσι δὲ αὐτὰς αἱ νύμφαι εἰς τὰς τῶν νυμφίων οἰκίας· Id. Λεκάνεις· ἐν τοῖς ἐπαυλίοις οἱ πατέρες ταῖς νύμφαις δῶρα ἔπεμπον, ἐν μὲν ταῖς κοιτίσι χρυσία, ἐν δὲ ταῖς λεκανίσι παρθενικὰ παίγνια. Videmus, hæc minime accurate convenire, omnia tamen usum quendam in nuptiis indicare. Hunc videntur non iniuria statuere in vasis pictum esse, ubi conspicitur mulier cum scrinio et patella incedens. Apponam duo insignia exempla, alterum Millin. Tomb. d. Canosa 7, ubi e manibus utrumque excidit Creusæ a Medea interfectæ, alterum Millingen. P. d. Vases de diverses Coll. tab. 45, ubi omnia adsunt novarum nuptiarum blandimenta: vir nudus sedens fidibus canit et iynga trahit, adulatur capreolus, advolat hymenæus, genius utriusque sexus.

5. Ποδανιπτήρ et χέρνιβον.

Vas in quo pedes lavabantur ποδανιπτῆρα dicebant, ut ex Photio vidimus (p. 118). Legitur λεκάνη ποδανιπτήρ C. I.

3071, et in fr. Dioclis ap. Poll. X, 78: *χαλκοῦς ποδανιπτὴρ λέβης*. Notus est ex Herodoto (II, 172) Amasidis *ποδανιπτὴρ χρύσεος*.

Vas in quo manus lavantur *χειρόνιπτρον* dicit Eupolis ap. Ath. IX, 408, d; cf. titulus ap. Boeckh. Staatshaush. II, p. 262 (*χερονιπτρον*); *χειρόνιβα* dixerat Epicharmus; vulgo autem dicebant *χέρνιβον*, ut ait Athenæus IX, p. 408. Exempla v. Hom. Il. ω, 304: *ἡ δὲ παρέστη χέρνιβον ἀμφίπολος πρόχοόν θ' ἅμα χερσὶν ἔχουσα*· Andocid. in Alcib. 29: *χρήσασθαι τοῖς χρυσοῖς χερνίβοις καὶ θυμιατηρίοις*, quamquam ibi Athenæus legit *χερνιβίοις*. — *Χέρνιψ* non vas significat, sed aquam ad lavandas manus, ut in illo Homeri: *χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα*· Æschyl. Choeph. 127: *χέασα τάσδε χέρνιβας βροτοῖς*· Soph. O. R. 240: *χέρνιβας νέμειν*· Eurip. Alcest. 100: *πηγαῖον χέρνιβα*, h. e. aquam ex fonte. Nec si interdum eodem loco et aqua lustralis nominari potuit et vas aquam continens, inde quidquam sequitur, ut Ar. Lysistr. 1129: *μιᾶς χέρνιβος βωμοὺς περιρραίνοντες*· Pac. 956: *τὸ κανοῦν λαβὼν καὶ τὴν χέρνιβα*, sæpiusque in eodem sacro usu, v. Av. 850, 958.

6. Ὁλκαῖον

sive *ὁλκεῖον* aut *ὅλκιον* — nam eandem vim habent hæ formæ — pelvis fuit præcipue ad pocula abluenda apta, *λεκάνη ἐς ποτήρια*, ut vidimus in Inscr. n. 3071. Pollux VI, 100: *ἔστι δὲ ὁλκαῖον, ἐν ᾧ τὰ ἐκπώματα ἐναπονίπτουσι*. Cf. X, 78; Hesych.: *ὁλκαῖον· λεκάνη, νιπτήρ, κρατήρ*, et *ὅλκιον· μέγας κρατήρ, λουτήρ*· Phot.: *ὁλκεῖον· χαλκοῦς λέβης, τρεῖς πόδας ἔχων*. In libr. X, 176 autem Pollux docet, *ὅλκιον* esse *ἀγγεῖον ὑγρῶν τε καὶ ξηρῶν, ὡς ἐπιπολὺ χαλκοῦν, ὡς ἐν Ἀρρηφόρῳ Μενάνδρου· Ἢ*

χαλκοῦν μέγα ὅλκιον· *ἐν δὲ Φιλήμονος Γάμῳ*· *Ὅλκιον εἶδον ἐπὶ τραπέζῃ κείμενον πυρῶν τε μεστόν*. Extat hoc nomen in fr. Epigenis ap. Ath. XI, 486, c; in Ptolemæi pompa (199, f): *ὁλκεῖα δύο, ἑκάτερον χωροῦν μετρητὰς πέντε*· in Antiochi autem (195, c): *ἐκ χρυσῶν ὁλκίων ἠλείφοντο κροκίνῳ μύρῳ*· *ἦν δὲ ταῦτα πεντεκαίδεκα*· in balneo Darii miratus est Alexander (Plut. c. 20) *ὅλκια καὶ κρωσσοὺς καὶ πυέλους καὶ ἀλαβάστρους*.

Male erravit Panofka duo diversa vasa, crateram et poculum, *ὁλκαῖον* et *ὅλκιον* appellans (R. II, 91; IV, 92). Gerhardus autem quamquam fatetur falsum esse, mavult tamen hoc nomine appellare poculum quoddam alto pede insistens (Rap. 27; Ult. R. 27), quia huius vasculi verum nomen nondum sit repertum (Ult. R. p. 155).

7. *Περιρραντήριον, ἀρδάνιον.*

Ubi quis sacrum locum intrabat, ut purus et sanctus ingrederetur, purgatione opus erat. Quare lustrali aqua aspergebantur. Pelves autem, quæ hanc aquam continebant, *ἀπορραντήρια* et *περιρραντήρια* dicebantur. Nota res est vel ex Herodoto (I, 51), qui Croesum tradit Delphis dedicasse duo *περιρραντήρια*, aureum et argenteum.

Etiam qui ex funesta domo in publicum prodibat, aspersa aqua purgandus erat; v. Poll. VI, 65: *οἱ ἐπὶ τὴν οἰκίαν τοῦ πενθοῦντος ἀφικνούμενοι, ἐξιόντες ἐκαθαίροντο ὕδατι περιρραινόμενοι*· *τὸ δὲ προὔκειτο ἐν ἀγγείῳ κεραμέῳ, ἐξ ἄλλης οἰκίας κεκομισμένον*· *τὸ δὲ ὄστρακον ἐκαλεῖτο ἀρδάνιον*· quod eo irrigabantur. Commemoratur idem *ὕδατος ὄστρακον πρὸ τῆς θύρας* in Ar. Eccl. 1033, et Eur Alc. 99. Verum ut in domo intus omnia moesta et fracta erant, ita ante fores sæpe non integrum vas ponebatur, sed fractum, modo tanta pars integra restaret, quæ aquam

tenere posset. Huc pertinere videtur, quod ap. grammaticos legimus, ἀρδάλια et ἀρδανίας — nam extat utraque forma — esse τοὺς πυθμένας τῶν κεραμίδων, et τὰς τῶν κεραμίων γάστρας, ut Hesych. Cf. Ælius Dionysius ap. Eustath. ad Il. ϑ, p. 707, 35: ἀρδάνιον τὸ ἀπὸ τοῦ πυθμένος τοῦ κεραμείου ἕως τῆς γαστρός· Suid. s. vv. ἀρδάνιον et τοὔστρακον· Bekker. Anecd. 441, 30.

Apparet formam huius labri prorsus nullius momenti fuisse, ut quod sæpe etiam fragmentum fuerit, qualecunque fors obtulisset. Nec dubitari potest, quin statim post perfectas exequias hæc ardania, iam vix satis pura, abiecta sint et contrita, non, ut quidam putarunt, una cum mortuis sepulta: nullum sane in usum; nam ex sepulcris profecto nemo erat exiturus. Panofka R. VII, 4 statuam exhibet ex Mus. PCl. II, 2 virginis labrum tenentis, quod ardanion appellat; in quo iure miratur Letronnius (Ephem. 1833, p. 410), eum non meminisse, illud vas recentioris artificis opus esse antiquam statuam restituere conati.

---

§ 2.

Pocula

communi nomine ἐκπώματα et ποτήρια dicebant Græci; v. Poll. VI, 95; Athen. XI, 460. Hic maxima formarum et nominum varietas. De formis liceat illud monere, florente Græciæ ætate pocula fere δίωτα fuisse (v. Ath. 488, b), non desunt tamen una aut nulla ansa instructa. In nominibus imprimis tempora distinguenda sunt. Nam quædam nomina ab Homero usurpata ita postea obsoleta erant, ut nihil non coniectando efficeret grammaticorum subtilitas, nihil non sibi licere putaret poëtarum eruditio. Quare quum de eorum formis aut nihil aut perpauca definire pos-

simus, præsertim quum ex tam remota antiquitate nec figulorum nec sculptorum opera superesse videantur, ne omnia confundamus, agemus primum de iis

1. *Quæ Homeri propria sunt.*

1. *Δέπας* apud Homerum commune omnium poculorum nomen esse videtur, inde frequens illud *δέπας ἀμφικύπελλον*, et quod proprie *ἄλεισον* erat etiam *δέπας* dicitur, v. Od. *γ*, 40, 50, 63, et *χ*, 9, 17. — De usu eius indices Homericos exscribere nolo. Mirus est grammaticorum error (v. Eustath. ad Il. *μ*, p. 909, 17), quod tradunt etiam *οἰνοχόην* et *οἰνήρυσιν* significasse, talibus inducti locis, qualis est Il. *ψ*, 219: *χρυσέου ἐκ κρητῆρος ἑλὼν δέπας ἀμφικύπελλον οἶνον ἀφυσσάμενος χαμάδις χέε*. Nec Asclepiadæ credendum ap. Ath. XI, 783, a. *φιαλῶδες* esse docenti, quia inde libarent, quasi non et e carchesiis et ex aliis quibusvis poculis libatum sit. Panofka *δέπας* appellavit (Rech. II, 47), qui cantharus videtur; verum magis miror, eum putasse, se Nestoris poculum fingere posse (II, 104 et 105). Antiquorum quidem multi et figuli et grammatici hoc fabricari conati multa disputarunt, quibus nihil ineptius fieri possit. Euctus ap. Martial. VIII, 6, 9 gloriatur in sua esse possessione; Athenæus autem (XI, 781, d) *τὸ Νέστορος*, inquit, *ποτήριον πολλοὶ κεραμεύουσι· πλεῖστοι γὰρ περὶ αὐτοῦ συνεγράψαντο*. Quæ si quis amat, legat eiusdem grammatici pp. 488—494. In talibus non decet eorum vestigia premere; Homeri verba simpliciter intelligenda sunt; accurata forma ut ostendatur, fieri non potest. Sunt Homeri versus (in Il. *λ*, 632 sqq.) hi:

Πὰρ δὲ δέπας περικαλλές, ὃ οἴκοθεν ἦγ' ὁ γεραιός,
χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον· οὔατα δ' αὐτοῦ
τέσσαρ' ἔσαν, δοιαὶ δὲ πελειάδες ἀμφὶς ἕκαστον

χρύσειαι νεμέθοντο, δύω δ' ὑπὸ πυθμένες ἦσαν.
ἄλλος μὲν μογέων ἀποκινήσασκε τραπέζης
πλεῖον ἐόν· Νέστωρ δ' ὁ γέρων ἀμογητὶ ἄειρεν.

Primum de materia certum est, aut aeneum aut argenteum fuisse, ut cetera elegantiora ap. Homerum. Erant autem laminæ metalli aureis clavis colligatæ; quamquam fuerunt, qui hos putarent tantum ornamenti causa infixos fuisse, aut ne infixos quidem, sed cælatos in clavorum similitudinem, immemores, opinor, fundendi artem longe post Homeri ætatem tradi inventam esse a Rhoeco circa Ol. 35, serius etiam a Glauco ferruminandi artem; quibus ignotis, non video sane, quomodo clavis infixis carere potuerint. Si hos oculis videre libet, in duabus lucernis fictilibus ap. D'Hancarvillium (vol. II, p. 81, tab. 14) conspicitur corpus amphoræ infixis clavis cum collo coniunctum. — Quattuor ansæ qua ratione positæ fuerint, multum disputatum est, et tam varia est ratio in iis fictilibus, quæ ad nos pervenerunt, ut nihil affirmari posse videatur; si propter magnitudinem vasis quattuor fuerunt, suspicari possis, binas utrinque aures fuisse, alteras superius, alteras inferius, quo commodius tolleretur vas, quale exemplum extat ap. Passerium I, 25. — Sed non magnitudinem solum, etiam elegantiam in describendo spectavit poëta. Qui quod columbas commemorat circum ansas pascentes, mirari licet, tam antiqui temporis artem idem esse secutam, quod postea perfecta elegantia in Pompeianis multis reperimus. — Quod autem commemorantur duo πυθμένες, verum id quidem est, quod docent, πυθμένα dupliciter dici, et de fundo vasis, ut Ath. XI, p. 495, c: Πέλλα· ἀγγεῖον σκυφοειδές, πυθμένα ἔχον πλατύτερον, εἰς ὃ ἤμελγον τὸ γάλα, et de pede apposito, ut Poll. VI, 99 de psyctere: οὐ μὴν ἔχει πυθμένα ἀλλ' ἀστραγαλίσκους· cf. Ath. 481, d; nunquam tamen

accedam Asclepiadæ (488, f), putanti, *δύω πυθμένας* esse fundum et pedem. Nec enim tam inepte lusit Homerus, ut eodem nomine duas res maxime diversas significaret, nec, si illud dicere voluisset, pedem appositum esse, addidisset, etiam fundum esse, quasi hic unquam abesse posset. Imo Homeri verba simpliciter intelligenda videntur de duplici pede, altero alteri imposito, ut unus efficiatur, eodem modo quo candelabra sæpe ex pluribus constare videntur altero alteri superimposito. Hoc in crateris videmus apud Zoëgam Bassiril. tab. 8 et 89.

Δέπαστρον pro *δέπας* dixerat Antimachus, v. Ath. p. 468.

2. *Ἄλεισον* sæpius legitur, ut in Od. χ, 9: *καλὸν ἄλεισον, χρύσεον, ἄμφωτον.* In etymologia huius vocabuli multa hariolati sunt Græci grammatici, v. Ath. XI, 783, b; ne recentiores quidem ab iis discedere audent; sed derivatum putant ab *α* privativo et *λεῖος,* Virgilio auctore interpretantes "poculum asperum signis". Vellem dixissent, unde litteram ς insertam putarent. Videtur *ἄλεισον* eiusdem stirpis esse atque *αλέω, εἴλλω,* et a rotunda forma dictum esse; quicum convenit, quod ap. Ath. 479, c. Marsyas Pellæus tradit, *τὸ ἐν τῷ ἰσχίῳ ὀστοῦν* (acetabulum, *κοτύλην*) *καλεῖσθαι ἄλεισον καὶ κύλικα.* — In Etymol. M. p. 61, 17 est, Aristophanem dixisse *τὸν ἄλεισον.*

3. *Κισσύβιον* vini Polyphemo tradit Ulixes (Od. ε, 346), Eumæus Ulixi (ib ξ, 78 — dicitur idem *σκύφος* v. 112 — et π, 52). Inde Asclepiades ap. Ath. 477, b. concludit, rusticum esse poculum. Omnia enim in hoc vocabulo coniectura nituntur; sequuntur autem maxime etymologiam, si non aperte falsam, at admodum dubiam, quod putant, ab hedera, *κισσῷ,* dictum esse, *aut* quia hedera ornatum fuerit, ut Poll. VI, 97: *τὸ δὲ κισσύβιον κισσὸς περιέθει, ἀφ᾽ οὗ*

καὶ τὸ ὄνομα, et Theocrit. I, 29, qui *βαθὺ κισσύβιον* describit: *τῶ περὶ μὲν χείλη μαρύεται ὑψόθι κισσός*, aut quia ex hederae ligno factum fuerit, quale *κίσσινον σκύφος* primus posuit Euripides ap. Ath. 477, a, extremus Serenus Samonicus: "mollibus ex hederæ tornantur pocula lignis". Videmus, utrumque incertissimum esse. Unus Philemon ap. Ath. 476, f. fortasse aliquid dicit non sola coniectura ortum, *μόνωτον ποτήριον* esse docens. Tale poculum nobis ob oculos posuit qui in antiquo vase pinxit Ulixem Polyphemo poculum porrigentem (v. Mon. In. Inst. Rom. I, 7; Pan. Rech. VI, 12; V, 76). Hoc igitur quod Panofka *κισσύβιον* appellat, habet sane aliquid quod sequatur; sed sine idonea causa eodem nomine appellat aliud poculum V, 77.

4. *Κύπελλον* etiam frequens apud Homerum est. Permanserunt etiam postea apud Cyprios et Cretes cupella binis, interdum quaternis ansis instructa, v. Athen. XI, 483, a. Post varios grammaticorum errores (v. Ath. 783, c; 482, e) verum docuit Buttmannus in Lexilogo I, p. 161, esse cupam Latinorum, et ex eadem radice oriri ac verbum *κύπτω*, ut cavum vas significetur. Ex duabus cupis communi fundo compositis effectum est *ἀμφικύπελλον*. Hanc enim esse vim nominis, idem Buttmannus ostendit, auctore usus non coniectanti aliquo grammatico, sed prudentissimo antiquitatis philosopho notam rem commemorante. Sunt enim eius verba in Hist. anim. IX, 40 de apum cellis: *περὶ μίαν βάσιν δύο θυρίδες εἰσίν, ὥσπερ τῶν ἀμφικυπέλλων, ἡ μὲν ἐντὸς ἡ δ' ἐκτός*. Quamquam hæc similitudo minime accurata est, quoniam fundi cellarum sibi appositarum ex tertia tantum parte congruunt. Quod autem Buttmannus negat, proprium huius formæ consilium fuisse, vix adducor, ut credam. Sed si meminerimus, antiquissima pocula lignea fuisse, in talibus patebit maxime valere Ho-

ratii verba: "vas, quo semel imbutum est recens, servabit odorem"; quare id fortasse spectarunt in his duplicibus poculis fabricandis, ut ex eodem poculo diversae commode sumerentur potiones.

2. Κυμβίον

posteriorum temporum videtur fuisse κύπελλον Homeri, saltem eiusdem stirpis est. Verum hæc deminutiva forma sola vulgarem usum habet, quum aliae sparsim et raro reperiantur, ut κυμβεῖον ap. Schol. Ar. Pac. 1242; κύμβον dixit Nicand. Ther. 526; κύμβος id. Alexiph. 129; κύμβα Cyprii auctore Ath. 482, e; κύββα est ap. Hesychium; κύμβην etiam κύλικος εἶδος fuisse, tradit Philemo ap. Ath. 483, a; quamquam in iis scriptis, quæ ad nos pervenerunt, et κύμβη et cymba Latinorum tantum linter est. — Κυμβία apud Athenienses vulgarem usum habebant; v. Demosthen. Midian. 133 et 158, in Euerg. et Mnesib. 58; et multa comicorum fragmenta, quæ affert Athenæus XI, p. 481, d — 482, d, quibus addi possunt Epigenis et Alexidis p. 502, e, f; etiam apud Romanos, ut Virgil. Æn. III, 66: "cymbia lactis"; V, 267: "argento perfecta atque aspera signis"; Mart. VIII, 6, 2: "ficta Saguntino luto"; Plin. H. N. XXXVII, 34, 113: "Chrysoprasio ea magnitudo est, ut etiam cymbia ex ea fiant". Ex quibus locis efficitur etiam, materiam nullius momenti fuisse.

Si vero formam quærimus, primum Athenæus docet esse τὰ κοῖλα ποτήρια καὶ μικρά. Verum quod parva fuisse dicit, refellitur ipsis exemplis, quæ citat, ut Anaxandridis 481, f: μεγάλ' ἴσως ποτήρια προπινόμενα καὶ μεστ' ἀκράτου κυμβία, et Alexidis 502, f, ubi cymbium non paulo maius est quam psycter; præterea vinosus Euripides cymbiis utitur 482, c, d; et ap. Dionysium Samium Ulixes Cyclopi cymbium meri dederat 481, e. — Dorotheus autem

qüem laudat Ath. l. l., tradit cymbia esse *γένος ποτηρίων βαθέων καὶ ὀρθῶν, πυθμένα μὴ ἐχόντων μηδὲ ὦτα,* et Nicander, Theopompum sic appellasse *τὸ χωρὶς ὠτίων ποτήριον.* Hæc et clara sunt, et vera videntur. At Didymus grammaticus ap. Ath. 481, f. dicit, *ἐπίμηκες εἶναι τὸ ποτήριον καὶ στενὸν τῷ σχήματι παρόμοιον πλοίῳ.* Letronnius (Ephem. 1833 p. 605) contendit, eum cum ceteris consentire, recteque interpretatum esse Macrobium (Sat. V, 21) "pocula procera ac navibus similia." Mihi quidem nihil stupidius videtur quam interpretatio Macrobii; nam si navibus similia sunt, procera esse non possunt, sed oblonga, quæ vulgaris est significatio vocabuli *ἐπιμήκης.* Erravit autem Macrobius propterea quod paulo ante Callixini verba de carchesio, *ἐπίμηκες ποτήριον,* interpretatus erat "procerum poculum", illic fortasse vere, nam videtur sane altitudo poculi etiam longitudo appellari posse. Sed Didymum hoc non fecisse, docent adiecta verba de similitudine navis. Etenim homo iste librorum MMM quingentorum scriptor ex similitudine nominum *κυμβίον* et *κύμβης* nimis festinanter etiam formæ similitudinem effecit, et cymbium a cymba vel poculum a navigio dictum putavit; quod nescio an contra sit. Novæ res enim notarum nominibus appellantur; et quis dubitat, quin pocula prius habuerint, quam naves? Itaque in fabulis traditur Sol Oceanum traiicere non navigio, sed poculo, et ex alveorum et poculorum similitudine naviculæ *σκάφαι* et *κύμβαι* — de cantharis mox videbimus — dictæ sunt, ut nos minores lintres nucum et ovorum putamina dicimus. — Posteriore tempore non nego etiam contraria ratione ludi, ut potus cum navigatione (Epicrat. ap. Ath. XI, 782, f; Meineke Fragm. Comic. Græc. III, p. 372) et pocula cum navigiis comparentur, quod in *ἀκάτῳ* factum videtur et *τριήρει* (v. infr. 9).

Ab antiquis scriptoribus longe digressus Panofka (Rech. V, 74) eumque secutus Gerhardus (Rap. 50) catinum quendam cymben appellarunt, cymbium autem Pan. (V, 75) poculum quoddam in lucernæ modum formatum. Potius cymbium putaverim vas illud, quod tenet Bacchus in monumento Lysicratis, v. Müller. Denkm. I, tab. 37. Spectantur similia in Herc. et Pomp. III, 95; Mus. PCl. IV, 31; Zoëg. Bassiril. 91; D'Hancarvill. Antiquités d'Hamilton IV, 29.

Cymbala, instrumenta musica in sacris Magnæ Matris usitatissima, ut nomine ad eandem radicem pertinent, ita ne specie quidem multum abhorruisse videntur. Conspiciuntur autem sæpe in sculptis et pictis monumentis, ut Mus. PCl. IV, 22, 29*; Herc. et Pomp. III, 78, 96, 111; IV, 28. — Ceterum miror, Müllerum in Archæol. § 299, 11 inter pelves posuisse *κύμβαλα*, cuius nullum alium auctorem potui invenire quam Hesychium: *ἀρδανίαι αἱ τῶν κεραμίων γάστραι, ἐν αἷς τὰ βοσκήματα ἐπότιζον, ἃ Δωριεῖς κύμβαλα καλοῦσι.* Hoc quomodo archæologi intersit, non video.

3. Σκύφος

sine dubio ad eandem radicem pertinens et ipsum cavum vas est, per omnes fere Græciæ ætates vulgo usurpatum. Iam apud Homerum (Od. ξ, 112) Eumæus Ulixi scyphum tradit. Hesiodi, Anacreontis, aliorum exempla citat Athenæus p. 498 sqq. Ac ne quis dubitet de antiquis Atheniensibus, quia apud Aristophanem hoc nomen non est, et tragicorum sunt exempla et ex media comoedia duo. Postea nihil vulgatius vel inter Romanos usque ad Macrobii ætatem, qui V, 21 hoc nomen, utpote "consuetum vulgo" explicare non vult. Plura scyphorum genera nominat Ath. p. 500, Boeoticos, Rhodios, Syracusanos, Heracleoticos, quod nomen Athenæus male ad Herculem refert, quum ab He-

raclea urbe deducendum sit, ut recte monuit Letronnius in Ephem. 1833, p. 731, not. 1. Ceterum horum scyphorum hoc proprium fuisse tradit Ath. 500, a, quod ansæ ornatæ essent Herculeo nodo, quem conspici putant ap. Pan. R. IV, 19 et 64. — Singulare est, quod ap. Plutarchum in Anton. 1 legimus, in argenteo scypho aquam allatam esse a puero domini barbam rasuro.

Plerumque satis magni fuerunt scyphi. Nullos non magnos legimus apud Athenæum; in Carani convivio (IV, 129, c) Proteas *χοαῖον σκύφον* postulat, Trimalchio autem Petronii (52) urnales iactat scyphos. Aptissime igitur tam magnum poculum datur Cyclopi (Ath. 498, e), Centauris (499, a), Satyris (Plin. XXXV, 36, 111), imprimis autem Herculi; videantur poëtarum loci ap. Ath. et ipse grammaticus p. 500, a, qui Herculem tradit primum hoc genere usum esse militiæ causa; quibus addenda sunt Macrobii verba (V, 21): "scyphus Herculis poculum est, ut Liberi patris cantharus."

Antiquitus ex ligno fiebant, ut *δουράτεος* Phædimi 498, e, faginus Tibulli I, 10, 8; postea (Ath. 500, a) et fictiles et ex metallis pretiosis, ut aurei Alcmanis et Æschyli 499, a; (cf. Cic. Verr. IV, 34), argentei Hesiodi ap. Ath. 498, b, ex onyche lapide, *ὀνύχινοι*, in fr. Posidonii philosophi ap. Ath. 495, a *). Argentei scyphi sæpe artificiose cælati

*) Gerhardus quidem aliam vim tribuit huic nomini. Ego sane quum ap. Ath. 468, c. legerem, Epigenem *δακτυλωτὸν ἔκπωμα* Ionis intelligere *τὸ ἄμφωτον ποτήριον, εἰς δ' οἷόν τε τοὺς δακτύλους διείρειν ἑκατέρωθεν*, talia gaudebam antiquorum grammaticorum esse propria. Habuit tamen Epigenes ille sectatorem Gerhardum, qui in Annalibus Inst. III, p. 258 parva pocula, quibus ab altera parte auricula sit, ab altera parva ansa in anuli speciem formata, onychinos fuisse putat, ab ungue (*ἀπὸ τοῦ ὄνυχος*) dictos; quia, immisso in ansam indice

erant, v. Plin. H. N. XXXIII, S. 55. Nobile Myis opus, quod habebat Troiam captam cælatam, commemoratur ab Athenæo XI, 782, b. Etiam ad nos pervenit nobile exemplum Herculani inventum, in quo caelata est apotheosis Homeri, v. Millingen Uned. Mon. II, 13.

Cur autem hunc scyphum appellare audeam, ea prima causa est, quod cælatus est; neque enim alia fere pocula cælata commemorantur præter scyphos et phialas *). Etenim accurata scyphorum descriptio ad nos nulla pervenit, nec tamen ideo fati iniquitas accusanda est, quasi ob eam ipsam causam, quod antiquorum nemo, quales scyphi essent, ignoraret, nobis omnem notitiam eripuerit. Potius omnia conquirenda sunt, quæ in antiquis monumentis apparent vestigia, et videbimus, ut opinor, omnia eodem spectare. Nam et etymologia vas cavum indicat, et idem efficitur ex Athen. 499, e: *σκύφος ἀπὸ τῆς σκαφίδος· καὶ τοῦτο δ' ἐστὶν ὁμοίως ἀγγεῖον ξύλινον στρογγύλον*, et ex iis, quæ idem 495, c. de mulctra tradit: *Πέλλα ἀγγεῖον σκυφοειδές, πυθμένα ἔχον πλατύτερον.* Imprimis autem eo iuvamur, quod Herculis proprium fuisse scyphum novimus; quod si non semper — nam v. c. in aurea patera ap. Millin. Monum. I, 21 cantharum gerit Hercules cum Baccho bibens — at in longe plurimis artis monumentis observatum videtur. Spectatur in manu Herculis tale vas cavum sine pede et ansis in Mus. PCl. V, 14; Zoëg. Bassiril. 70, et ingentis magnitudinis ibid. 69; Herc. et Pomp. V, 19. Alii scyphi

---

digito, in summa poculi ora ponatur extremus pollex, quatenus ungue tectus sit. Eamque sententiam, a Boeckhio in Indice lect. 1831—32 meliora edoctus, tamen non prorsus improbabilem putat in Ultim. Ric. p. 158, not. e.

*) Tamen Thericlia sunt ap. Cic. Verr. IV, 18; *ὀξὶς* ap. Ath. VI, 229, e.

ansas habent, qualem *οὐατόεντα σκύφον* commemorat Simonides ap. Ath. 498, e; cf. 500, a; v. Herc. et Pomp. V, 17; Zoëga 68 et 72.

Propter horum similitudinem recte arbitror Gerhardum scyphos appellasse magna illa pocula duabus auribus instructa, quæ in antiquissimis monumentis tam frequenter occurrunt, ut in zophoro templi Assii; in vasis picta ap. Gerh. Auserl. Vasenb. I, 59; Cabinet Pourtalés 34, 45; Millingen Coghill. 17, 24, 43. Recte scyphos appellasse videtur, quos exhibet in Rap. nn. 46—48; Ult. R. 24, 25, 47. Eodem videtur pertinere Pan. IV, 50 propter Milling. Cogh. 17 et 24, quamquam iusto maius est vas. Panofkam autem a vero aberrare puto, quod *μονώτους* facit IV, 63. 64. — Scyphum sine ansis ut supra vidimus argenteum, ita fictilis spectatur elegantissimus ap. Stackelb. Gräb. d. Hell. 33; cf. Gerh. Ult. R. n. 22. Eiusdem generis sunt vitrea pocula ap. Becker. Gall. tab. 4, nn. 5 et 6, et quæ picta spectantur in pariete Pompeiano Herc. et Pomp. II, 126 et 83. Similia forsitan fuerint modioli Romanorum.

Vulgares scyphi pede caruerunt. Interdum autem scyphi non minus quam amphoræ ovorum speciem æmulantes in acutum desinebant, ut nisi pede addito stare non possent. Talia *ὠοσκύφια* sunt appellata, v. Athen. XI, 488, f; 503, e. Idem vocabulum restituendum esse credo in corrupto loco 477, e, ubi Athenæus de ciboriis *τάχα ἂν εἴη*, inquit, *τὰ λεγόμενα σκύφια, διὰ τὸ κάτωθεν εἰς στενὸν συνῆχθαι, ὡς τὰ Αἰγύπτια κιβώρια.* Videtur legendum *τὰ λεγόμενα ὠοσκύφια·* quomodo enim illud "qui dicuntur" scyphis addi potuit, quibus nihil notius erat? Recte Panofka V, 103 formam ooscyphii ostendit, quamquam male ad ova recipienda ea facta esse putat; vera pocula fuisse, demonstrat tabula in Herc. et Pomp. II, 83. Alia exempla

ansis instructa v. ap. Pan. III, 51; D'Hancarv. IV, 62; Passeri. III, 234. — Quomodo Müllerus (Arch. § 299, d) ὠοσκύφια et ἀμφικύπελλα confundere potuerit, non intelligo *).

Βρομιάδες, ait Athen. XI, 784, d, *ἔκπωμα ὅμοιον τοῖς μακροτέροις τῶν σκύφων.* Apparet, nomen a Baccho Bromio ductum esse. Minus apparet, qua de causa Panofka (IV, 65) oenochoen putaverit.

4. *Κάνθαρος*

proprie est *scarabæus*, bestiola volatilis, quæ in stercore versatur eiusque semper pilas volvit. Ægyptios novimus scarabæos inter numina coluisse (Plin. XXX, 30, 99); simili religione eos Etrusci videntur amplexi, scilicet ad mala averruncanda aptissimos; et pervenit ad nostra tempora et ex Ægypto et ex Etruria ingens scarabæorum numerus vel ex lapide sculptorum vel ex argilla fictorum (v. Müller. Archæol. § 230, 2 et § 175, 2; Abeken. Ital. Med. p. 275 sq. et 404 sq.). Athenienses autem ab obscura illa superstitione remoti, ludere et ridere quam vereri foedum animal maluerunt, et Aristophanes in Pace Trygæum facit ex fæce populi scarabæo in coelum evolantem, ut inde pacem arcessat diu optatam.

---

*) Magis etiam miror, quod in enumerandis usitatis poculis etiam *ἡμίτομον* posuit, de quo nihil novimus, nisi Athenæum 470, d. dicere, esse *ἔκπωμά τι παρ' Ἀττικοῖς, ἀπὸ τοῦ σχήματος ὀνομασθέν* — nam Pollux VI, 95 tantum nomen habet — idque affirmat habere ovi dimidiati formam, quasi nullæ aliæ res dividi possint, quam ova. Minus fortasse a vero aberravit Pan. IV, 70, quamquam valde dubito, num hoc poculum sit, et mire admodum Letronn. p. 733 affirmat, duo sola certo constituisse Panofkam, *ἡμίτομον* et *κέρνον*, quorum utrumque coniectura nititur ex singulis Athenæi locis ducta.

Ex similitudine inversi scarabæi factum esse videtur, ut et *navigia* quædam et *pocula* *κάνθαροι* dicerentur, quamquam fuerunt qui eos inventoris nomine appellatos putarent, ut Poll. VI, 96; Ath. 474, d. Illa navigii significatio est apud Aristoph. Pac. 143, et ap. Athen. p. 474; hæc poculi frequentior, nec apud Græcos solum, sed non minus apud Latinos. Cantharorum mentio fit apud Plautum, Virgilium, Horatium, alios; etiam Macrobio (V, 21) consuetum nomen est.

Fuerunt plerumque fictiles; v. Poll. X, 122; Xenarchi, Epigenis, Nicostrati frr. ap. Ath. 473, f; 474, a, b. Ex Polemone legimus (474, d) Hippea pictorem in pingendis Pirithoi nuptiis *τὴν οἰνοχόην καὶ τὸ κύπελλον* lapidea fecisse auro ambitum cingente, pocula autem *κεραμέους κανθάρους*. Tales videntur fuisse "modici" illi Horatii Od. I, 20, 2. Fiebant tamen etiam ex metallis, ut apud eundem Horat. Ep. I, 5, 23: "ne non et cantharus et lanx ostendat tibi te"; aureum habet Menander ap. Ath. 474, c; nec dubito, quin pretiosa fuerint, quibus C. Marium post victoriam Cimbricam Liberi patris exemplo potasse indignatur Plin. XXXIII, 53, 150. — Magnos et profundos fuisse, ubique videmus, ut in frr. Eubuli 473, e, f: *ὡς μέγιστον κάνθαρον* et *ἀπειρέσιον μέγαν πάνυ*. *Ἁδροὶ* dicuntur ab Alexide et Epigene 473, d et 474, a.

Propter eandem formæ similitudinem canthari dicebantur in fontibus rotunda ea vasa, quæ aquam salientem excipiebant et ex ostio in summo labro iterum emittebant, quorum exempla conspiciuntur Pompeiis in domo, quæ Actæonis dicitur (v. Mazois II, 37 et 38). Male lexicographi fistulam interpretantur, quod minime efficitur ex citatis locis, ut Pauli in Dig. XXX, 41 § 11: "Sed et automataria et canthari, per quos aquæ saliunt, poterunt

legari, maxime si impositicii sint", et Inscript. ap. Gruter. I, p. 182, n. 2:

Perdiderat laticum longæva incuria cursus,
Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit.

Canthari dicebantur etiam qui in atriis basilicarum Christianarum lustralem aquam continebant. Sed imprimis memorabilis est Plinii locus XXXVI, 60, 184, ubi describit præclarum pavimentum, Sosi opus: "Mirabilis ibi columba bibens et aquam umbra capitis infuscans; apricantur aliæ scabentes sese in canthari labro." Repertum est enim in villa Hadriani nobilissimum opus lithostroton, cum hac Plinii descriptione adeo conveniens, ut ad illud exemplar factum esse appareat (v. Müller. Denkm. I, tab. 55, n. 274). Hic igitur cantharum conspici, sine dubitatione affirmamus.

Vini cantharum quum verisimile sit forma fuisse ab his non prorsus aliena, tamen aliqua necesse fuit in poculo mutarentur. Scilicet ne rotundo vacillaret in fundo, pes addi solebat (v. Asclepiad. ap. Ath. 488, f); ansatus etiam — ansam canthari commemorat Virg. Bucol. 6, 17 — fuit alio modo quam illa Sosi pelvis. Nam si Macrobio auctore (V, 21), qui cantharum dicit Liberi patris esse poculum, ut scyphum Herculis, ad monumentorum imagines aggressi erimus, quum interdum alia videbimus Bacchum pocula gestantem — ut rhytium ap. Millin. Monum. I, 21; calicem ap Millingen Coghill. 41; carchesium in Mus. PCl. IV, 268, Herc. et Pomp. II, 31, in numis Lydiis, al. — tum plerumque maius quoddam poculum, amplo ore, pede et duabus longis ansis munitum, quod recte videntur VV. DD. cantharum appellasse. Videantur imprimis vasa antiqua, ut Gerh. Auserl. Vasenb. I, 9, 32, 34 sqq.; Passeri II, 169; D'Hancarv. I, 82; III, 49. Cf. Herc. et Pomp. IV, 29; III, 94; Mus. PCl. IV, 29. Quod igitur cantharum appellavit

Panofka vas quod est IV, 61 — vellem eodem nomine appellasset n. 62 et n. 19 — recte fecisse videtur, quamquam hoc excultæ elegantiæ et Italicæ artis vasculum a pelvis illius forma non paulum remotum est. Sed extant etiam antiquissima huius generis vasa, et Tusca, ut Gerh. Ult. R. n. 21, et Attica, ut Pourtalés tab. 7, Gerh. Rap. n. 44, et qui præter ceteros videndus est, cantharus cum operculo in Museo Blacas tab. 12. Eodem nomine appellanda videntur vasa quæ sunt ap. Panofk. II, 47, D'Hancarv. IV, 41, Milling. Peint. d. Vases 36, et poculum in humani capitis formam pulcherrime fictum, quod delineatum est in Mon. Ined. Instit. Rom. I, 39.

Afferam extremo loco verba grammatici cuiusdam adscripta in margine Clementis Alexandrini Pædagog. II, 3, p. 188 Potter. *Κάνθαροι ἀπὸ τοῦ σχήματος. — Κάνθαρος τὸ λεκανοειδὲς μέν, ἄνωθεν δὲ ὁμοίως πώματι ἐσκεπασμένον στομίῳ συμμέτρῳ* *), *κατὰ μέσον ἀνερρωγώς, καὶ πρὸς ἄκρῳ τῆς περιφερείας προχοΐδι, ἀφ' ἧς πιεῖν ἔστι διοιγόμενον.* Quum in tam noto poculo grammaticum scivisse aliquid non sit incredibile, tamen et verba tam turbata sunt, et tam singularis descriptio, ut equidem non de verborum tantum, sed etiam de hominis integritate non nihil dubitem.

5. *Καρχήσιον*

num re vera tam antiquum fuerit, ut Iuppiter Alcmenæ dederit, eam quæstionem Athenæo (p. 474, f) relinquamus; saltem Pherecydis ætate in usu fuisse constat, qui hoc narraverat. Afferuntur ab eodem Athenæo 475, a. singuli loci Sapphus, Sophoclis, Antiphanis, qui inter *ἀργυρώματα*

---

*) Sic scribendum esse pro corrupto *οὐ μέτρῳ*, me docuit Madvigius.

numerat. In Ptolemæi pompa (Ath. V, 198, b, c) Bacchus et Satyri carchesia aurea et argentea gestarunt. Athenis inter donaria Deæ servabantur *καρχησίω ἀργυρῶ* (v. Boeckh. C. I. n. 139, v. 19) et *καρχήσιον ἀργυροῦν Διὸς Πολιῶς* (n. 141, vv. 8, 9, 23, 38 et n. 150, v. 26). Delphis direptis Phayllus argenteum carchesium Phocæensium donarium tibicinæ donavit, v. Ath. XIII, 605, b. Babylone Diodorus II, 9 tradit fuisse *δύο καρχήσια, σταθμὸν ἔχοντα τριάκοντα ταλάντων.* Quod iam ex his coniicere possumus, *pretiosum* poculi genus fuisse, diserte confirmat Alciphron (Ep. II, 3), qui Menandrum facit splendorem aulæ spernentem hæc scribere: *ἐγὼ δὲ τὰς Ἡρακλείους καὶ τὰ καρχήσια καὶ τὰς χρυσίδας καὶ πάντα τὰ ἐν ταῖς αὐλαῖς ἐπίφθονα παρὰ τούτους ἀγαθὰ φυόμενα τῶν κατ' ἔτος Χοῶν — οὐκ ἀλλάττομαι.* Videtur usus carchesiorum non admodum vulgatus fuisse; tantum in cottabi ludo commemorantur ab Ath. XV, 667, e, quem exscripsit Schol. Ar. Pac. 1244. Apud Romanos numquam in usu fuerunt, si recte affirmat Macrob. V, 21 esse "poculum Græcis tantummodo notum". Hos imitati sunt Virgilius et Ovidius.

Speciem carchesii iam Callixinus Rhodius operæ pretium habuit describere, qui ap. Ath. 474, e. docet: *ὅτι ποτήριόν ἐστιν ἐπίμηκες, συνηγμένον εἰς μέσον ἐπιεικῶς, ὦτα ἔχον μέχρι τοῦ πυθμένος κατήκοντα.* Addit Athenæus: *Ἔστι δὲ ἱκανῶς ἐπίμηκες τὸ ποτήριον τὸ καρχήσιον, καὶ τάχα διὰ τὸ ἀνατετάσθαι οὕτως ὠνόμασται.* Quæ Macrobius l. l. ita interpretatur: "Carchesium procerum et circa mediam partem compressum mediocriter, ansatum ansis a summo ad infimum pertinentibus." Asclepiades autem docebat, nomen tulisse a carchesiis navis, quæ describit 474, f; sed confiteor, me verba eius non intelligere. Idem 488, f. carchesia ponit inter ea vasa, quæ pedem habeant.

Hæc recte secutus est Müllerus in Archæol. § 299, a, quamquam cantharos eodem retulisse videtur. Quorum discrimen nescio an ita definiendum sit, ut carchesia proceriora et angustiora, cantharos ampliores et patentiores fuisse putemus. Quæ igitur Panofka (IV, 62) et Gerhardus (Ult. R. 20) carchesia appellarunt, canthari videntur; potius carchesia sunt, quæ supra indicavimus (p. 136), quibus add. Zoëg. Bassir. 77 et 78, Millingen Peintures d. Vases 24, alia.

6. *Κύλιξ*

a rotunda forma nomen tulit, recteque Athenæus p. 480, b: *Ταῦτα,* inquit, *ἐστὶ κεράμεα ποτήρια καὶ λέγεται ἀπὸ τοῦ κυλίεσθαι τῷ τρόχῳ.* Pollux poculorum nomina enumerans (VI, 95), *τὴν κύλικα* primo loco ponit, tum deminutivum *κυλίσκην·* alibi *κυλίσκιον* (98) et *κυλίκιον* legitur. *Κυλίχνην* dixerat Alcæus ap. Ath. 481, a; *κυλιχνίδα* Achæus Eretr. 480, f. Hæc tamen duo plerumque non pocula erant, sed, operculo ut opinor instructa, aut *ὀψοφόρα ἀγγεῖα,* ut ap. Poll. X, 88, qui citat Aristophanis verba: *τὸ δ' ἔτνος ἐν ταῖς κυλίχναις τουτὶ θερμὸν καὶ τουτὶ παφλάζον,* aut pyxides erant a medicis usurpatae, ut Galen. lex Hippocr.: *κυλιχνίδα σμικρὰν κύλικα καὶ ἰατρικὴν πιθάκνην·* Poll. VI, 98: *ἡ κυλιχνὶς* (sic recte Iungermannus pro *κύλιχνος*) *πυξίς ἐστι·* Ath. 480, c: *Ἀθηναῖοι δὲ καὶ τὴν ἰατρικὴν πυξίδα καλοῦσι κυλικίδα* (an *κυλιχνίδα?*), *διὰ τὸ τῷ τόρνῳ κεκυλίσθαι.* Hoc sensu legitur apud Aristoph. Eq. 906: *ἐγὼ δὲ κυλίχνιόν γέ σοι καὶ φάρμακον δίδωμι.* Huius pyxidis formam monstrare conati Panofka (R. IV, 69) et Gerhardus (Rap. n. 51) iure non satisfecerunt Letronnio (p. 609, not.); nam a calicis forma prorsus abierunt.

Κύλιξ apud Homerum et Hesiodum non legitur; sed apud Athenienses prorsus vulgare poculum est, quo in con-

viviis utuntur; vide Xenoph. Symp. 2, 26 sq.; Aristoph. Lys. 197 sqq.; Ath. X, 423, c; XI, 480, b sqq.; al. Quin tam vulgaris fuit calicum usus, ut, ubi forma nullius est momenti, *κύλιξ* pro universo poculorum genere dicatur. V. Ar. Lys. 841: *πάνθ' ὑπέχειν πλὴν ὧν σύνοιδεν ἡ κύλιξ.* Cf. Plat. Lys. 219, E; Soph. Ai. 1200: *βαθεῖαν* *) *κυλίκων τέρψιν.* Hellanicus ap. Ath. XI, 462, b. tradit nomadas Libyos nihil possidere præter *κύλικα καὶ μάχαιραν καὶ ὑδρίαν.* Inter pocula loqui est *κυλικηγορεῖν* sive *ἐπὶ τῇ κύλικι λέγειν.* *Κυλικεῖα* dicebantur abaci, ubi ornatus causa ponebantur non solum calices, sed etiam aurea et argentea vasa cuiusvis generis, v. Ath. 480, b; et in pompa Ptolemæi 199, c et f. Videmus etiam 465, d. Pytheam gloriantem in monumento suo:

ὃς κυλίκων ἔσχεν πλῆθος ἀπειρέσιον
ἀργυρέων, χρυσοῦ τε καὶ ἠλέκτροιο φαεινοῦ.

Non materia solum calicum, sed etiam forma varia est, nec tamen sine fine varia. Variae sunt altitudinis, ut in Pherecratis versibus ap. Ath. 481, b:

Εἶτα κεραμεύσαντα τοῖς μὲν ἀνδράσιν ποτήρια
πλατέα, τοίχους οὐκ ἔχοντ', ἀλλ' αὐτὸ τοὔδαφος μόνον,
κοὐχὶ χωροῦντ' οὐδὲ κόγχην, ἐμφερῆ γευστηρίοις·
φασὶ δ' αὑταῖσιν βαθείας κύλικας ὥσπερ ὁλκάδας
οἰναγωγούς, περιφερεῖς, λεπτάς, μέσας γαστροειδάς·

semper tamen parum procera in magno orbis ambitu. Itaque vel profundiores calices cum clipeo comparantur, ut Aristoph. ap. Ath. 472, c: *τῶν Θηρικλείων εὐκύκλωτον ἀσπίδα.*

---

*) Male Hermannus scribit *βαθειᾶν* "utpote simplicius ideoque venustius." Græcis quidem auribus nihil insoliti est in illa scriptura; cf. Pind. Ol. 2, 54: *βαθεῖα μέριμνα·* Hdt. IV, 52: *ἤθεα βαθύτερα·* Polyb. VI, 24, 9: *βαθεῖς ταῖς ψυχαῖς·* Luc. Alex. 25: *μέθη βαθεῖα·* Ath. X, 436, e: *βαθὺν οἰνοπότην.*

Etiam cum mamma comparantur; nam tradit Plin. XXXIII, 23, 81, Lindios in Minervæ templo habuisse calicem ex electro, quem Helenam dicerent dedicasse mammæ suæ mensura. Sponte sequitur, ne formam quidem multum abhorruisse; quæ enim comparatio esse potest rerum non similium? — Calices parvas aures habebant; v. Ath. 470, e: ἡ Θηρίκλειος ὦτα ἔχει βραχέα, ὡς ἂν κύλιξ οὖσα· tum Diodorus ap. eundem 479, e. κοτύλην dicit non esse κύλικα, οὐ γὰρ ἔχειν ὦτα· Hermippi autem versus est 480, e: Χία δὲ κύλιξ ὑψοῦ κρέμαται περὶ πασσαλόφιν. — Pedem habuisse, efficitur ex Sophoclis versu ap. Poll. X, 79: ἀπυνδάκωτος οὐ τραπεζοῦται κύλιξ· sive hic Sophoclis calix fracto pede ἀπυνδάκωτος est factus, sive semper fuit in culinæ usum, ut Romanos legimus ap. Plin. XXXV, 55, 193 in calicibus coxisse, et Varro L. L. V, 127 calicem a calda dictum putat.

Ac ne quis dubitet, quin ex talibus poculis biberint Græci, et sculpta opera, ut Zoëg. Bassir. 82, et picta vasa plurima exempla suppeditant; v. Pan. R. VII, 37; Becker Charicl. 3, 2; Millingen Coghill. 8 et 41; Cab. Pourtalés 34, al. Quod si hæc iam satis certa sunt, accedit etiam extremum omnium, nomen vasculo ipsi inscriptum; legitur enim in Tarquiniensi calice in Mus. Berolin. n. 909: "Volcani pocolom," in Atheniensi autem Κηφισοφῶντος ἡ κύλιξ (v. supr. p. 8). Itaque calicum forma omnium certissima est, nec multos spero in errorem inductum iri a Beckero, qui in Gallo II, p. 161, hoc simpliciter negato, veros calices affirmat esse procera quædam vitrea pocula, quæ potius scyphi sunt (v. supr. p. 133). Veros calices proposuerant iam Panofka (IV, 33) et Gerhardus (Rap. 38-41; Ult. R. 31).

Commemorantur plura calicum genera, variis locis fabrefacta. Atticos nominat Pindarus ap. Ath. 480, c, idque

genus ex permultis fictilibus nobis notissimum est; Lacedæmonios Aristoph. ap. Ath. 484, f; Teios Alcæus 481, a; Chios Hermippus 480, e; Argivos Simonides Amorginus 480, a, ubi Athenæus verba poëtæ: *αὕτη δὲ φοξίχειλος* interpretatur: *ἡ εἰς ὀξὺ ἀνηγμένη, οἷοί εἰσιν οἱ ἄμβικες καλούμενοι·* male, quoniam nec ulla species magis calici contraria est, nec si ipsum vas acutum dici potuit, etiam labrum potuit; os angustum est, non acutum. Quid autem significaverit Simonides, ex tam abrupto loco divinare non queo. — Describit Athenæus 480, e. calicum quoddam genus, in patria sua Naucrati confectum. *Εἰσίν*, inquit, *φιαλώδεις μὲν, οὐ κατὰ τόρνον, ἀλλ' ὥσπερ δακτύλῳ πεποιημέναι, καὶ ἔχουσιν ὦτα τέσσαρα, πυθμένα εἰς πλάτος ἐκτεταμένον.* Pan. III, 60 putat, se Naucratitem calicem ostendere; vellem meminisset, etiam alia desiderari, quam quattuor ansas. — Apud Martialem XIV, 102 et 108 commemorantur Surrentini et Saguntini calices. *Vatiniani* autem ex foedo quodam sutore, qui in Neronis aula scurræ partes agebat (Tacit. Ann. XV, 34), dicebantur vitrei quidam calices nasis quibusdam instructi. Commemorantur a Martiale XIV, 96:

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini
Accipe; sed nasus longior ille fuit.

tum a Iuvenale V, 46:

Heliadum crustas et inæquales beryllo
Virro tenet phialas; tibi non committitur aurum. —
Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quattuor, ac iam
Quassatum et rupto poscentem sulphura vitro.

Eandem reficiendi rationem commemorat Martialis X, 3, 3:

Quæ sulphurato nolit emta ramento
Vatiniorum proxeneta fractorum.

7. *Θηρίκλειος*

κύλιξ, ut est ap. Theophrastum et Theophilum Ath. 470, f; 472, d, e, vulgo omisso substantivo dicitur *ἡ Θηρίκλειος* — *Θηρικλείαν* uno Timæi loco legerat Athenæus 471, f.— Nomen*) dedit, qui primus fabricatus est, Thericles Corinthius figulus, quem Aristophanis tempore vixisse tradit Ath. 470, f. Nec tamen ut inventor Corinthius, ita pocúlum huius urbis proprium fuit. Imo Thericlia, si quid aliud, vere Attica erant, quod præter Athenæi testimonium (469, b) frequens docet eorum mentio apud comicos, inde a Theopompo maxime apud mediæ et novæ comoediæ scriptores. Nec postea usus desiit.

Erant Thericlia proprie fictilia. Ait Theophrastus l. c. etiam ex terebintho arbore tornari, quæ nemo a fictilibus dignoscere possit; quæ tam negligenter transcripsit Plin. XVI, 76, 205, ut ipsum Thericlem traderet hoc facere solitum. Sæpius fiebant ex ære, auro, argento; v. Ath. V, 199, b; XI, 469, b; Cic. Verr. IV, 8, qui inter toreumata commemorat "pocula quædam, quæ Thericlia nominantur, Mentoris manu, summo artificio facta." Apud Alexidem (Ath. 471, e) tale poculum est corona aurea cinctum; apud Polemonem (472, a) lignea inaurata; cf. Ister 478, b: *Θηρικλείων χρυσοκλύστων ζεῦγος*. Etiam ex vitro facta esse, patet ex Photii glossa: *Θηρίκλειον· ποτήριον ὑέλινον.*

Magna hæc pocula fuisse, ex omnibus locis efficitur; tres heminas capiens est ap. Ath. 472, b — quamquam eadem magnitudo est vulgaris calicis ap. Plat. Lys. 219, E — quattuor et plus septem capiunt Theophili 472, d, e.

---

*) Inepte antiquorum aliqui ap. Ath 471, b. a vocabulo *θηρός* derivatum putarunt; quamquam vel hodie sunt, qui repetant.

Si speciem huius calicis quærimus, audiamus primum poëtam mediæ comoediæ ap. Ath. 471, e:

Ὦ γαῖα κεραμί, τίς σε Θηρικλῆς ποτε
ἔτευξε κοίλης λαγόνος εὐρύνας βάθος.

Quæ uberius explicat Athenæus ipse 470, e: *ἡ κύλιξ αὕτη ἐγκάθηται περὶ τὰς λαγόνας ἱκανῶς βαθυνομένη·* addit: *ὦτα δ' ἔχει βραχέα, ὡς ἂν κύλιξ οὖσα.* Lumbus (*λαγών*) ut alibi venter (*γάστρα*) dicitur ima vasis caverna, qua dilatata, ut poculum plus caperet, effecta est similitudo quædam cum carchesiis in medio compressis, et Adæus ap. Ath. 471, f. simpliciter docuerat: *Θηρίκλειον* esse *καρχήσιον*, sed recte monet Athenæus, interesse aliquid, idque probat allato Callixini loco: *τινὰς ἔχοντας Θηρικλείους πομπεύειν, τοὺς δὲ καρχήσια.* Non sine veri similitudine Panofka (IV, 34 — quamquam eodem pertinet n. 33) et Gerhardus (Rap. Volc. 40) Thericlios calices exhibuisse videntur. Utrum talia spectaverit necne schol. Clementis Pædag. II, 3, decernere non ausim. *Θηρίκλειον,* inquit, *τὸ σφαιροειδὲς τῷ πυθμένι τὸ ἐπικείμενον ἔχον χωνοειδές, ἀφ' οὗ πιεῖν ἐστιν εὐπετές.* Ascribam etiam ex Ath. 471, d. Eubuli locum:

Ἄρτι μὲν μάλ' ἀνδρικὴν
τῶν Θηρικλείων, ὑπεραφρίζουσαν, παρα-
κωθωνόχειρον, ψηφοπεριβομβήτριαν,
μέλαιναν, εὐκύκλωτον, ὀξυπύνδακα,
στίλβουσαν, ἀνταυγοῦσαν, ἐκνενιμμένην,
κισσῷ κάρα βρύουσαν, ἐπικαλούμενος
εἷλκον Διὸς Σωτῆρος.

In quo fragmento plura sunt, quæ non intelligo. Meineke in Fragmentis Comicorum III, p. 231 scribit *κωθωνόχειλον*, quamquam quæ *χείλη* sint nescit, *ἄμβωνας* esse dicens. Monstrum vero est, quod idem V. D. voce *ψηφοπεριβομ-*

βήτριαν indicari putat similitudinem poculi cum clepsydra, "in quam demissi calculi iudiciales argutum sonum efficiebant." An calculos putat in clepsydram demissos fuisse?

Ἡδυποτίδες Rhodiorum similes fuerunt. Nam quum etiam Rhodii insigni figlini operis laude florerent, de qua videndus imprimis Ath. XI, 464, c, eos narrat Lynceus Samius (469, b) Atheniensium æmulos pro Thericliis fabricatos esse aliud genus simile, ita ut quum illa, propter ponderis gravitatem nimis pretiosa, tantum divitum essent, hæc, utpote tenui opera ducta, etiam pauperes comparare possent. Fragmenta quædam antiquorum citat Athenæus l. l.

Eædem simpliciter dictæ sunt *Ῥοδιακαί*, *Ῥοδιακά*, *Ῥοδιάδες*, v. Poll. VI, 96, Hesych., Athen., apud quem ut magna pocula commemorantur et in fr. Diphili 496, f: *πιεῖν ἁδρότερον ἢ τῶν Ῥοδιακῶν ἢ τῶν ῥυτῶν*, et ubi cum Thericliis componuntur 472, b; 502, f. Alius generis fuerunt, opinor, *σκύφοι Ῥοδιακοί* 500, b.

Eiusdem generis fuerunt etiam *Ἀντιγονίδες* et *Σελευκίδες*, regum nominibus appellatæ, v. Ath. 497, f; Poll. VI, 95. Illas describit auctor sane exiguæ fidei, schol. Clementis l. l., qui postquam Thericlia commemoravit, sic pergit: *Ἀντιγόνιος ἡ ἄνευ τοῦ σφαιροειδοῦς πυθμένος εἰς ὀξὺ ἀπολήγουσα.* Seleucidas ab Asclepiade (488, d—f) docemur pedem habuisse et binas utrinque ansas, quas ita describit, ut vix dubitari possit, quin tale poculum spectetur in Herc. et Pomp. IV, 14. *Ἐκ μιᾶς*, inquit, *οἱονεὶ ῥίζης, ἥτις τῷ πυθμένι προσκυρεῖ, καθ' ἑκάτερον τὸ οὖς διασχιδεῖς εἰσι ῥάβδοι ἐπ' ἀμφοῖν, οὐ πολὺ ἀπ' ἀλλήλων διεστῶσαι διάστημα· αὗται μέχρι τοῦ χείλους διήκουσαι τοῦ ποτηρίου, καὶ μικρὸν ἔτι μετεωριζόμεναι, κατὰ μὲν τὴν ἀπόστασιν τοῦ ἀγγείου φυλάττουσι τὴν*

διάσχισιν, κατὰ δὲ τὸ ἀπολῆγον πρὸς τὴν τοῦ χείλους ἔρεισιν πάλιν συμφυεῖς, καὶ γίνεται τὸν τρόπον τοῦτον τέτταρα ὦτα.

8. *Φιάλη*

est *patera*, quod inter omnes constat. Graves errores, ut fit, in origine vocis quærenda commissi alios pepererunt. Quod enim dicit Asclepiades ap. Athenæum XI, 501, b: ἡ μὲν φιάλη κατ᾽ ἀντιστοιχίαν ἐστὶ πιάλη, ἡ τὸ πιεῖν ἅλις ἔχουσα, recentiores, quoniam nihil aliud habebant, retinere quam abiicere maluerunt. Etiam Letronnius in Eph. Er. 1833, p. 687 affirmat phialam proprie significare poculum quodvis ("un vase à boire en général"): quod contra est; nam phiala proprie non est poculum, ut vel in eo, quem citavimus, loco Asclepiades pergit: μείζων γὰρ τοῦ ποτηρίου· cf. Ar. Vesp. 677: φιάλας, χλανίδας, στεφάνους, ὅρμους, ἐκπώματα, ex quo φιάλας et ἐκπώματα diversa fuisse patet, et plura posthac. Quin tam generalem significationem huic vocabuli tribuit V. D., ut verear, ne nulla evadat. Nam quod Hesychii quadam glossa nititur: ῥυτόν· εἶδος φιαλῶν, qui lexicographos novit, facile videt, hoc nihili esse; nam ubi apud poëtam aliquem invenerant ῥυτῷ σπένδων, vel simile quid, statim docebant, rhytium esse pateram. At Herodotus IV, 10 Scythas tradit e balteo suspensas habuisse phialas; has affirmat Letronnius ampullas fuisse, quia Græci ampullas hoc modo gestarint: non arbitror, virum acutissimum hoc si ab altero scriptum invenisset, pro argumento fuisse habiturum. Quod autem addit, nostræ ætatis homines vitreas ampullas *fiolas* dicere — quæ depravata nominis forma iam est ap. schol. Iuvenalis, qui poëtæ verba in sat. X, 27: "lato in auro" interpretatur: "in aurata fiola" — huius rei causa est non formæ similitudo, sed prava nominis etymologia, quæ legitur apud Isi-

dorum Or. XX, 5: "Phyalæ dictæ quod ex vitro fiant; vitrum enim Græce ὕαλος dicitur." Quum igitur vitri materiam hoc vocabulo significari putassent, etiam ampullas vitreas ita appellabant, in iisque nomen substitit.

Apparet, stirpem nominis esse φιαλ; sed ignoratur huius vis. Ex eadem stirpe oriuntur φιάλλω (cf. ποικίλος, ποικίλλω· ἄγγελος, ἀγγέλλω) et ὑπερφίαλος, utrumque obscurum admodum*). Verbum extat ap. Ar. Pac. 432: ἔργῳ φιαλοῦμεν, quod videtur aggrediendi operis vim habere, nec tamen certam, quoniam inest lusus verborum; obscurior etiam est alter locus in Vesp. 1348. Homerica vocabula ὑπερφίαλος et ὑπερφιάλως demonstrat Buttmannus Lex. II, 209, sqq. non semper in malam partem dici, sed tantum nimii aliquid indicare; hoc aliquid quale sit, non docet, h. e. novit, quid sit ὑπέρ, quid φιαλ sit ignorat; nam quod a φύω putat derivatum esse pro ὑπερφυάλως, talis mutatio nullo certo documento probari potest. Diiudicet hanc rem, qui cognatarum lingvarum peritus est**).

Apud Homerum vidimus (Il. ψ, 243) usum phialæ ad ossa legenda, unde quidam male effecerunt, fuisse amphoram (v. supr. p. 48). In Il. ψ, 270 Achilles phialam præmium certaminis ponit: πέμπτῳ δ' ἀμφίθετον φιάλην ἀπύρωτον ἔθηκεν. De voce ἀπύρωτος multa inepte disputarunt grammatici veteres, v. Ath. 458, d, e; 501, b, c, quæ omittere licet, quum certissima nominis etymologia docet esse vas igne non tactum, ad ignem nondum admotum (cf. supr. p. 94). Fuit igitur phiale magnum vas ex lebetum genere,

---

*) Ἰάλλω huc referre nolui, quia ne minimum quidem in eo extat vestigium litteræ *F*.

**) Dicitur in Sanscrita lingua *vil* et *val* tegendi significationem habere, eandemque in Islandica *fialar*, unde nostrum *fiæle*, *Fjæl*. Quæ si huc pertineant, φιάλη proprie sit *operculum*.

ut hi tripodi impositum, quo caleret igne subdito; recteque Euphorio ap. Tzetz. ad Lycophr. 320 Homeri vestigia pressit: *ἐν πυρὶ Βάκχου δῖον ὑπὲρ φιάλην ἐβάλοντο* (ubi Müllerus male scribit *ὑπερφίαλοι*, melius Meineke Euphor. p. 76 *ὑπὲρ φιάλης*). Sed minor phiale fuit quam lebes, quoniam quintum præmium est, quum ille tertium, planior quoque et *ἀμφίθετος*. Etiam de hoc vocabulo multa temere coniectata sunt; invenitur tamen etiam verum inter alia sparsum, ut ap. Hesych.: *φιάλη ἑκατέρωθεν τίθεσθαι δυναμένη*· sed imprimis videndus Asclepiad. ap. Ath. 501, d: *ἡ ἐπὶ τὸν πυθμένα καὶ τό στόμα τιθεμένη· ἡ δὲ τοιαύτη θέσις τῶν φιαλῶν Ἰωνική ἐστι καὶ ἀρχαία· ἔτι γοῦν καὶ νῦν οὕτως Μασσαλιῆται τιθέασι τὰς φιάλας ἐπὶ πρόσωπον.* Hæc causa fuit, cur maxime externus pateræ orbis ornatus esset cælatura, nucibus, aliisque rebus, interdum ita ut vix nisi *ἐπὶ στόμα* poni posset.

Φιάλῃ et ad aquam utebantur *ἀπορραντηρίῳ*, ut sacrum locum intrantes aspersa lustrali aqua purgarentur, quare in indicibus donorum Atheniensibus sæpius repetitur *φιάλη χρυσῆ ἐξ ἧς ἀπορραίνονται* (v. Boeckh. C. I. I, n. 138), et ad unguenta *ἐξαλείπτρῳ* (cf. p. 117), ut Xenophan. ap. Ath. XI, 462, d: *ἄλλος δ' εὐῶδες μύρον ἐν φιάλῃ παρατείνει*· sed plurimus in vino usus, ut apud Pindarum legimus *οἰνηρὰν φιάλαν* (Nem. 10, 43) et *οἰνοδόκον* (Isthm. 5, 40) et *ἔνδον καχλάζοισαν ἀμπέλου δρόσῳ* (Ol. 7, 2), nec tamen plane pro poculis, nam maiores fuerunt (Ath. 501, b). Ex pateris libabant Diis tam in Deorum solennibus sanctisque precationibus (v. Pind. Pyth. 4, 193, Isthm. 5, 40; Ar. Pac. 431; Plat. Critias 120 A: *χρυσαῖς φιάλαις ἐκ τοῦ κρατῆρος ἀρυτόμενοι κατὰ τοῦ πυρὸς σπένδοντες ἐπώμνυσαν δικάσειν κατὰ τοὺς ἐν τῇ στήλῃ νόμους*), quam in communibus conviviis, nam hic

quoque semper a Diis principium est factum, et primum omnium dabantur pateræ singulis convivis, unde libarent (v. Xen. Symp. 2, 23; Pind. Nem. 9, 51), libatoque, ut opinor, reliqua ebiberent (Ath. IV, 128, c: ἐπεὶ δ' ἐξέπιον τὰς φιάλας). Commemorandus etiam propinandi mos, v. Pind. Ol. 7 init. et Plat. Symp. 223, C, ubi Socrates et Aristophanes et Agatho ἐκ φιάλης bibunt μεγάλης ἐπὶ δεξιά. Singulis autem maiores iusto erant pateræ, quoniam, ut est ap. Ath. XI, 784, d, οἱ ἐκ φιάλης πίνοντες ὅσον θέλουσι, τάχιστ' ἀπαλλαγήσονται. Quum vero intemperantes interdum homines magnas pateras siccarent, ἀθρόως bibentes et ἀπνευστί sive ἀμυστί, Thracum erat talis bibendi ratio, ἄμυστις, v. Callimach. fr. 109; Hor. Od. I, 36, 14; unde etiam magnas quasdam pateras ἀμύστεις dicebant, v. Poll. VI, 97; Suidas; Etym. M. 87, 24; Isidor. Or. XX, 5. Exemplum citatur Ameipsiæ ap. Ath. XI, 783, e: τὴν ἄμυστιν λάμβανε· cf. Anacr. ibid 475, c. — Picti in vasis conspiciuntur ex pateris bibentes, ut Becker. Char. tab. 3, 1 et 2, nec ulla in antiquis monumentis imago frequentior est quam libantium. Eadem de causa crediderim Deorum statuas pateras tenere, quasi σπενδούσας πλουθυγιείαν, ut Aristophanis utar verbo ex Equit. v. 1091.

Ei, qui ex patera libaverat, aut cui propinata erat, sæpe dono dabatur, v. Pind. Ol. 7, init.; Ar. Pac. 424: δῶρον δίδωμι τήνδ', ἵνα σπένδειν ἔχῃς· Av. 975; Hippolochus ap. Ath. IV, 128, c. Antiquo tempore pateræ certaminum præmia proponebantur, ut ap. Hom. Il. ψ, 270; Pind. Isthm. 1, 18: ἔν τ' ἀέθλοισι θίγον πλείστων ἀγώνων, καὶ τριπόδεσσιν ἐκόσμησαν δόμον καὶ λεβήτεσσι φιάλαισί τε χρυσοῦ, γευόμενοι στεφάνων νικαφόρων. In Deorum autem templis innumerabiles prorsus dedicatæ erant pateræ

aureæ et argenteæ, ut docent inscriptiones repertæ*). Hæ et ἀποῤῥαντήρια erant, ut vidimus, et ad libationes usurpabantur, ut in zophoro Parthenonis, et quæ usui supererant, splendida ornamenta erant opulentæ ædis. Quin affigebantur interdum tantum pro ornamentis templorum portis et lacunaribus, ut Diodor. III, 47: τὰς ὀροφὰς καὶ θύρας χρυσαῖς φιάλαις λιθοκολλήτοις καὶ πυκναῖς διειληφότες· et super fastigium templi Iovis Olympii (Paus. V, 10, 4) Atheniensibus Argivisque devictis clipeum aureum dedicaverant Tanagræi, cui inscriptum erat:

Ναὸς μὲν φιάλαν χρυσέαν ἔχει, ἐκ δὲ Τανάγρας
 τᾶς Λακεδαιμονίοις συμμαχίδος γε τεθὲν
δῶρον ἀπ' Ἀργείων καὶ Ἀθηναίων καὶ Ἰώνων
 τὰν δεκάταν νίκας εἵνεκα τῶ πολέμω.

Phialæ plerumque ex pretiosis metallis fiebant. Argenteas pateras simpliciter ἀργυρίδας, aureas χρυσίδας fuisse dictas, et Athenæus (502, a) tradit, nec ceterum ignotum est. Cf. Ar. Pac. 425; Ach. 74; Pollux VI, 99; X, 102, 104. In indice donariorum Atticorum C. I. n. 142 nominantur et φιάλαι ἀργυραῖ et ἀργυρίδες, ut videri possit aliquid interesse; hoc tamen minime certum est, nam in tali catalogo verisimile est, quo quæque res nomine donata fuerit, id semper retentum esse. Mirum autem quod legimus ap. Ath. 784, a: Ἀργυρίς· εἶδος ποτηρίου, οὐ μόνον ἐξ ἀργυροῦ. Ἀναξίλας· καὶ πίνειν ἐξ ἀργυρίδων χρυσῶν. Difficile iudicium est de tam abrupto loco, sed videtur poëta loqui de argenteis pateris aut inauratis aut

*) In indice donariorum nuper Athenis reperto, quem edidit Curtius (Inscriptiones Atticæ XII, n. 7) sæpius repetitur ὁ δεῖνα ἀποφυγὼν τὸν δεῖνα φιάλη σταθμὸν H. Putat editor esse donaria fugitivorum servorum in Theseo. Videtur oblitus esse, ἀποφυγεῖν dici qui in iudicio liberatus sit.

aureis emblematis ornatis. Alius error admodum ridiculus est; nam postquam Theodorus grammaticus ad Cratini χρυσίδι σπένδων ascripsit esse φιάλην χρυσῆν, quum in libro eius prima littera deleta esset, Athenæus tradit, ῥυσίδα esse φιάλην χρυσῆν (496, e). Sequitur, ut solet, Hesychius. — Plures argenteæ pateræ ad nos pervenerunt, una tantum aurea, Caracallæ ætatem non superans, v. Millin. Monum. 1, 21.

Forma pateræ plana et rotunda est clipei similis. Itaque Aristoteles (Rhetor. III, 4 & 11, Poetic. 21, 12) phialen ait esse clipeum Bacchi, clipeum phialen Martis, et Ath. X, 433, c. ex Antiphane φιάλην τὸ ὅπλον Ἄρεως citat; cf. epigramma quod supra e Pausania posuimus. Στρογγύλην fuisse, dicit Dionysius Thrax ap. Ath. 501, b, nec alveolo dissimilem vidimus p. 118 et 79. Pede carere dicit Asclepiades (488, f) τὰς φιάλας καὶ εἴ τι φιαλῶδές ἐστι τὴν ἰδέαν· et vidimus fuisse ἀμφιθέτους*). Vulgo etiam ansis carebant, v. Hes. ἀμφίθετον**). Sed quoniam ansa carebant, ut commode manu teneri possent, surgebat sæpe in medio fundo intro versus umbo quidam sive ὀμφαλος, ita ut in exteriore ambitu cavum relinqueretur, in quod digiti possent immitti. Tales pateræ ὀμφαλωτοί (Ath. 502 a, b) — μεσομφάλους poetæ dicunt, ut Ion et Theopompus apud Ath. 501, f — spectantur et in Deorum ma-

*) Interdum pro pede videntur glandes, nuculæ, alia fuisse agglutinata, nam commemorantur pateræ βαλανωταί, καρυωταί (Ath. 502, b), χρυσαστράγαλοι (Sappho ap. Poll. VI, 98); quamquam nullæ tales ad nos pervenerunt, v. Letr. Ephem. Er. 1833, p. 688.

**) Semper vix puto. Saltem una ansa instructæ videntur, quas Scythæ e balteis suspensas habebant (Hdt. IV, 10), et scaphia Cleomenis, et fortasse etiam eæ, quas demiserunt uxores Darii in arcas aureorum plenas, ut numos inde haustos Democedi medico darent (Hdt. III, 130).

nibus et sæpe alias, v. Pan. III, 30; IV, 31. Umbo plerumque introrsum tectus erat persona tum Gorgonis, tum aliis; ut Hesychius *βαλανιομφάλους* explicans, hoc in iis putaverit esse singulare, quod haberent *ὀμφάλους ἄνευ προσώπων.* Extat talis patera fictilis medio Gorgonis capite ornata ap. Gerh. Rap. Volc. n. 42. Quod autem Letronnius p. 689 hoc vulgare genus *ὀμφαλωτούς* esse negat, quia nomen illud raram et singularem speciem indicaverit, non satis attendisse videtur ad antiquorum scripta, nam et in his, quos citavimus, locis et ab Eratosthene et Asclepiade ap. Ath. 501, d, e. umbones paterarum commemorantur ut res prorsus nota et vulgaris. Sunt autem hæc eorum verba: *τῶν φιάλων οἱ ὄμφαλοι καὶ τῶν βαλανείων οἱ θόλοι παρόμοιοι.* Sine causa igitur Letronnius novum finxit paterarum genus, quod umbonem haberet extrorsum vergentem (n. 35); quæ forma, ut in colo aptissima est (n. 38), ita in patera nihil inutilius. Quod insolitum fuit et grammaticis negotium exhibuit, non umbo est, sed comparatio umbonis cum balneo a Cratino instituta, qui pateras *βαλανειομφάλους* dixerat, de quo verbo mihi quidem videtur inutile disputare, quoniam non integer poëtæ locus, sed tantum grammaticorum disputata extant.

9. *Genera quædam paterarum.*

Φιάλη λεπαστή sive simpliciter *λεπαστή*, mox, ut prorsus obscuraretur adiectivi natura, *λεπάστη* dicta, erat magnum vini vas, a Latinis etiam *lepesta* appellata, v. Varro L. L. V, 1 3; Nonius p. 547. Nomen nec a *λάπτω* derivatum est, ut vult Athenæus 485, a, nec a *λαμβάνω,* ut egregius ille schol. Clementis Pædag. II, 3: *λεπαστὴ χυτροειδὲς ἔκπωμα, ἐπωτίδι μιᾷ τὸ εἰλῆφθαι παρεχομένη·* eruditum sane virum, qui ne pateram quidem esse patiatur,

sed ollam! Hoc nomen eodem pertinet, quo λέπω et λεπάς, et habet sane patera similitudinem aliquam ostreæ. *Φιάλη λεπαστή*, quod legitur apud Anaxandrid. Ath. IV, 131, c, et Poll. VI, 95, permagnum poculum fuit; v. Ath. XI, 485, a: *κύλικες ἦσαν μεγάλαι*, et schol. Ar. Pac. 916: *εἶδος ποτηρίου μεῖζον ἢ κύλιξ*, apud comicos non rarum, ut docent exempla apud Athenæum l. l. Citantur etiam hæc ex Gerytade Aristophanis (485, b): *Ἦν δὲ τὸ πρᾶγμ' ἑορτή. περιέφερε δ' ἡμῖν κυκλῷ λεπαστὴν ταχὺ προσφέρων. παῖς ἐνέχει τε σφόδρα κυανοβενθῆ.* Qui locus in gravem errorem induxit Ameriam grammaticum (485, d), quem secuti sunt Poll. X, 75 et Hesych., ut *λεπαστήν* statuerent esse *οἰνοχόην*. Imo ut in Platonis convivio ex magna patera *ἐπὶ δεξιά* bibunt, ita hoc loco ex lepesta, quem circumfert puer semper denuo infundens. De propria forma lepestæ nihil accepimus, ut si quis vera quærat vasorum nomina, ab hoc sane abstinendum sit. Quæ Panofka et Gerhardus hoc nomine appellarunt, videas Rech. IV, 36 et Ult. R. n. 30.

Ἄκατος proprie naviculæ nomen est, fierique potest, ut in Epicratis versu ap. Ath. XI, 782, f. potius navis quam poculum sit. Ibid. 502, a. Theopompus commemorat *μεσόμφαλον φιάλην· Τελέστης δ' ἄκατον ὠνόμαζέ νιν.* Letronnius p. 691, not. 4 inde concludit, hoc commentum fuisse Telestæ dithyrambici poëtæ. Fieri potest, ut hæc loci sententia sit, sed de tam abruptis verbis difficile iudicium est. Brevi tamen hoc nomen vulgatum esse videtur, nam etiam Antiphanes ap. Ath. XV, 692, f: *μεγάλην Διὸς Σωτῆρος ἄκατον ἦρέ τις.* — Panofka III, 30 *ἄκατον* exhibere se putat. — *Τριήρης* etiam magna patera fuisse videtur, v. Epinicus et Antiphanes ap. Ath. XI, 497, b, et 500, e.

Φθοΐς erat *πλατεῖα φιάλη ὀμφαλωτή*, teste Athenaeo 502, b, qui Eupolidis versum citat. Legitur in titulo Atheniens ap. Boeckh. C. I. n. 146: *τοῦ χρυσίου φθοΐδες*, h. e. ramenta auri. Videntur a tenuitate dicti; nomen enim cum *φθίω* cognatum arbitror. — Pan. IV, 31 *φθοΐδα* putat. Idem IV, 41 putat se exhibere *πέταχνον*, quod Athenaeus 496, a. dicit esse *ποτήριον ἐκπέταλον*, et recte quidem, nam pertinet ad *πετάννυμι*, ut *κυλίχνη* ad *κυλίνδω*. De hoc poculo versus sunt Alexidis ap. Ath. III, 125, f:

Εἰσῆλθεν ἡ 'ταίρα φέρουσα τὸν γλυκὺν
ἐν ἀργυρῷ ποτηρίῳ πετάχνῳ τινὶ
ἀστειοτάτῳ τὴν ὄψιν, οὔτε τρυβλίῳ
οὔτε φιάλῃ· μετεῖχε δ' ἀμφοῖν τοῖν ῥυθμοῖν.

Equidem nihil decernam, quoniam ne tryblium quidem scio quale sit.

Λαβρωνίαν Athenaeus 484, c. Persicum ait esse poculi genus. Etiam nomen potius Persicum puto quam, ut grammaticus, dictum *ἀπὸ τῆς ἐν τῷ πίνειν λαβρότητος*. Addit, planum fuisse, *πλατύ*, et magnum, ansasque habuisse magnas. Ex comicorum recentiorum locis, quos affert, videmus, non solum magnas fuisse, sed etiam admodum pretiosas, ut viginti aureorum pondere (484, e), vel etiam ducentorum (ibid. d), et gemmis ornatas, *διαλίθους*. Cum Athenaeo consentit schol. Clementis *ἀσπιδοειδὲς* interpretans *ἔκπωμα, ἀφ' οὗ ἔστι λαβρῶς ἐμφορηθῆναι τὸν πίνοντα*.

Γυάλας erat Doricum poculi nomen, v. Ath. 467, c, apud Macedones et Megarenses usurpatum. Extare haec vox videtur in fr. Dionysii Sinopensis 467, d, si iure placet Letronnii emendatio (l. l. p. 614, not. 3):

Ὅσα δ' ἐστὶν εἴδη Θηρικλείων τῶν καλῶν,
γυάλαι δικότυλοι, τρικότυλοι, δῖνος μέγας·

ubi pro γυάλαι in codicibus est γύναι. Quod autem Meineke (Fr. Comic. III, p. 554) γυάλας contendit ab Atticorum sermone longe remotos esse, eodem iure κώθωνα ex Aristophane exterminare potuit, quod et ipsum Athenæus 483, b. Λακωνικὸν ποτήριον dicit; nec quod ipsi scribendum videtur, κοτύλαι, cuiquam, opinor, placebit.

10. Κέρας.

Barbaros populos fere videmus boum cornua pro poculis habere. Hoc et maiores nostros fecisse novimus, et Plinius tradit, barbaros septentrionales urorum cornibus potare, Xenophon autem, Græcos milites in Paphlagonum terra cornea pocula invenisse (Anab. VI, 1, 4), euudemque morem apud Seuthen Thraciæ regem describit (ibid. VII, 2, 23; 3, 24, 26). Theopompus apud Ath. XI, 476, d. Pæonum reges prodiderat, quum apud eos tanta bubus cornua essent, quæ tres aut quattuor congios caperent, pocula inde conficere, labris auro argentove obductis, τὰ χείλη περιαργυροῦντας καὶ χρυσοῦντας. Eadem ratione Philippum, Macedonum regem, si quem benigne accipere vellet, ei cornu propinare solitum esse, ex Lycurgo refert Athenæus l. l. Sed non solum labra pretioso metallo cingebant, etiam integra pocula conficiebant ex auro et argento in cornuum speciem. Talia κέρατα ἀργυρᾶ inveniuntur in titulis Atticis, v. Boeckh. C. I. n. 142, vv. 6, 22, 39; cf. n. 139, v. 8. Descripserunt ap. Ath. 476, b, c. Pindarus Centauros in Pirithoi nuptiis argenteis cornibus bibentes, Æschylus Perrhæbos utentes ἀργυρηλάτοις κέρασι χρυσᾶ στόμια περιβεβλημένοις. Citatur eodem loco aureum cornu ex Sophocle, alia. Reperitur in vasis pictus Bacchus tale cornu tenens, ut ap. Gerhard. Auserlesene Vasenbilder I, 48 nigrum cornu albo labro

cinctum, cf. ibid. 77 in eleganti optimæ artis cratera; antiquiora sunt ibid. 55, 56, 42.

Tantæ magnitudinis vas non temere uno haustu exsiccari poterat; quum igitur nullo suo pede insisteret, singulari apparatu fulciendum erat, v. Letr. p. 694. Hic apparatus dicebatur *περισκελές* vel *περισκελίς*, ut coniiciunt VV. DD.; quamquam fortasse etiam illa forma pro substantivo poni potuit. Athenæus 476, e. in Demiopratis scriptum invenerat: *κέρας ἔκπωμα ἀργυροῦν καὶ περισκελὲς πρόσεστι*· recteque hoc supplevit Boeckh. in C. I. n. 151, v. 37, ubi est: *κέρας ἔκπωμα ἀργυροῦν καὶ πε......*

Vas fictile prorsus iis simile, quæ in vasis picta vidimus, tantum parva ansa instructum, ex qua suspendi possit, conspicitur ap. Pan. V, 78. Sed plus amavit Græcorum ingenium pocula non in acutum, sed in animalium capita desinentia; hæc tamen non cornuum nomen habuerunt, sed eorum animalium quæ æmulabantur. Hæc iam supra commemoravimus, vidimusque male rhytia appellari (p. 58); quoniam rhytia sunt incurva cornua perforato fastigio.

---

§ 3.
Cibariorum vasa

minus nota sunt. Maior hic testium inopia, nullæ formarum descriptiones, quæ in poculis interdum fructum aliquem afferebant. Præcipuus auctor est Pollux VI, 84—87 et X, 80—94, sed paulo turbatior, nec certo gradu incedens.

Constabat coena ex pane et obsoniis. Obsonia erant caro, puls, alia. His addebantur iuscula et varia condimenta. Hunc igitur sequamur ordinem in vasis enumerandis.

1. *Κανοῦν*

dicitur etiam *κάναστρον, κάνης, κανήνιον, κανίσκιον,* v. Pollux (VI, 87; X, 90, 91). In Demiopratis Pollux (X, 86) invenerat *κάννστρον*. Romani canistrum dicunt, v. Varro L. L. V, § 120. Usus frequens ad panem præferendum iam apud Homerum, sed etiam ad carnem (Od. *υ*, 300) et alia obsonia, ut Il. *λ*, 630: *χάλκειον κάνεον, ἐπὶ δὲ κρόμυον πότῳ ὄψον, ἠδὲ μέλι χλωρόν, παρὰ δ' ἀλφίτου ἱεροῦ ἀκτήν*. Mansit usus etiam apud Romanos, ut Cic. Attic. VI, 1, 13; Iuv. V, 74; al. Sæpissime in sacris commemorantur, ut iam ap. Hom. Od. *γ*, 442; *δ*, 761; tum Aristoph. Ach. 244 sqq.; Av. 850 sqq.; Pac. 948: *τὸ κανοῦν πάρεστ' ὀλὰς ἔχον καὶ στέμμα καὶ μάχαιραν·* al. — Notæ sunt virgines *κανηφόροι*.

Si de materia quærimus, et fictilia erant (v. Hom. Epigr. 14, 3) et Homerici heroes utuntur aeneis et aureis. Etiam ad sacrum usum pretiosiora erant, ut aurea ap. Ar. Ach. 258. Lignea commemorat Eustath. p. 1402 vel suo tempore. Ex viminibus plexum est Aristophanis ap. Poll. X, 91; cf. Isidor. XX, 9: "Canistrum scissis cannis contexitur, unde et nuncupatur." Prava hæc etymologia eum errorem peperisse videtur, ut canistrum cum corbe confunderetur, ut a Panofka IV, 71. Canistrum vero est vas planum et apertum patinæ simile; ut ap. Poll. IV, 86 legimus: *Ταῦτα δὲ ὅσα κατὰ φιάλας ἀνεπέπτατο, καὶ κάναστρα καλούμενα εὑρεῖν ἔστι.* Congruit quod Hippocrates p. 596, 14, 16 et 648, 45, 49, 50 ollæ operculum *κάνειον* dicit.

Ut ex pateris, ita ex canistris interdum bibisse videntur; habet enim verbum *ἐγκανάσσειν* significationem vini infundendi, ut Ar. Eq. 105: *ἴθι νυν ἄκρατον ἐγκάναξόν*

μοι πολὺν σπονδήν, quem imitatus est Alciphro Ep. III, 36: *ἐγκανάξας κύλικα εὐμεγέθη.*

2. *Πίναξ*

a Buttmanno (Ausführl. Gram. I, p. 74, not.) putatur esse idem atque *πλάξ.* Deminutiva sunt *πινάκιον* et *πινακίσκος.* Latini *lances* dicunt — recte enim apud Poll. VI, 84 emendarunt: *πίνακας, ὥσπερ τὰς λάγκλας ὀνομαζομένας,* pro quo codd. corrupte *λαβικλας·* — etiam scutras et *scutellas* — Schol. Ar. Plut. 813 *πινακίσκους* interpretatur *τὰ σκουτέλια* — quas non *recipere* aliquid in se, sed *sustinere* dicit Ulpianus Dig. XXXIV, 2, 19, § 10.

Ἐν πίναξι carnem, pisces, alia obsonia præferebant; *τραγήματα* ap. Arist. Plut. 996. *Κρειῶν πίνακας* iam Homerus habet Od. *α*, 141; *π*, 149. Alii loci v. ap. Ath. IV, 132 et VI, 228 (male Panofka citat VI, 227, b, ubi de tabula picta agitur); Poll. VI, 84; X, 82.

Antiquitus lignei erant, v. Eustath. ad Od. p. 1402, 12; Ar. Plut. 813: *τοὺς πινακίσκους τοὺς σαπροὺς τοὺς ἰχθυηρούς·* sed mox *ἀργυροῦς πάρεσθ' ὁρᾶν.* In Carani convivio primum afferuntur lances æris Corinthii (Ath. IV, 128, d), mox argenteæ; tum *ἀργυροῦς ἐπὶ πάχος οὐκ ὀλίγον περίχρυσος* (129, b), qui totum porcum caperet; mox vitreus bicubitali fere diametro, argentea theca inclusus (ibid. d); postremo (130, b) apri in lancibus quadratis auro præcinctis (*κατὰ πινάκων τετραγόνων χρυσομίτρων*), ubi notanda est quadrata forma; nam vulgo orbiculatæ erant.

Male Pollux X, 82 solito grammaticorum errore (cf. p. 94) *ἐμπύρους* et *ἀπύρους πίνακας* distinguit. Sed recte idem *κοίλους* et *ἐκπετάλους* distinguit; nam erat sane varia ad varios usus forma. Quos adhuc commemoravimus,

maxime ad carnem usurpatos, plani fuerunt; quale exemplar proponit Panofka Rech. III, 59.

Cavis maxime ad pultem utebantur, indeque dicebantur *μαζονόμα* sive *μαζονομεῖα*. De quibus Poll. VI, 87: *μαζονόμια κοῖλοι μεγάλοι πίνακές, ἐφ' ὧν αἱ μᾶζαι διενέμοντο· ξύλινοι δ' ἦσαν*, et Harmodius Lepreates ap. Ath. IV, 149, a: *τυρὸς καὶ φυστὴ μᾶζα νόμου χάριν ἐπὶ χαλκῶν κανῶν, τῶν παρά τισι καλουμένων μαζονόμων, ἀπὸ τῆς χρείας εἰληφότων τὴν ἐπωνυμίαν*. Qui quod *κανᾶ* dicit, videmus canistra a scutris non multum diversa fuisse. Ex eodem loco patet, non necessarium esse, quod Pollux dicit, ut lignea sint. Aurea mazonoma sunt in titulo ex templo Branchidarum (v. Boeckh. C. I. II, n. 2852, 50) et in pompa Ptolemæi ap. Ath. IV, 197, f; 200, a; 202, e. Nec quia nomen a pulte ortum est, ideo semper pultem continebant; apud Horat. Sat. II, 8, 86 sunt "mazonomo pueri magno discerpta ferentes membra gruis." In pompa illa Ptolemæi (197, f) *παῖδες* sunt *ἐν χιτῶσι πορφυροῖς, λιβανωτὸν καὶ σμύρναν, ἔτι δὲ κρόκον ἐπὶ χρυσῶν μαζονόμων φέροντες*. Venit in mentem pictorum vasorum ap. Milling. Peintures de Vases 12 et 28, ubi tales lances, sive *μαζονόμα* appellare libet, ad sacra gestatae conspiciuntur.

3. *Δίσκος*.

Pollux VI, 84 postquam vasa, quæ mensis imponuntur communiter appellari posse dixit *τεύχη ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ*, ad singula transgressus sic incipit: *οὓς μὲν δίσκους καλοῦσιν, ἐρεῖς κύκλους ἀργυροῦς ἢ χεύματα ἀργυρᾶ*. Neutrum tamen satis probatur exemplis. *Κύκλοι ἀργυροῖ* sunt in titulo ap. Boeckh. C. I. p. 286; quales fuerint, non liquet. De altero vocabulo nihil novimus, nisi ex Hero-

doto I, 51, Croesum Delphis dedicasse *χεύματα ἀργύρεα κυκλοτερέα*. Comparanti Homeri locum Il. ψ, 561: *θώρηκα χάλκεον, ᾧ πέρι χεῦμα φαεινοῦ κασσιτέροιο ἀμφιδεδίνηται*, videri possunt ne vasa quidem fuisse, sed massæ argenti orbiculatæ formæ.

Disci autem Pollucis ætate vulgo dicebantur; v. Apulei. Metam. II, p. 125, 20 Elm. "coenarumque reliquiis discus ornatus." Cf. Anth. Pal. XI, 371; Isidor. XX, 4; — *Δίσκος ἅγιος* erat, quo in sacris Christianorum sanctus panis præferebatur; v. Thesaurus.

Λεκανίδας, patellas, iam commemoravimus p. 119. *Λέκος, λεκίς, λεκάριον, λεκίσκιον* eiusdem stirpis et similis usus fuisse videntur; sed eorum fere una apud grammaticos mentio est.

4. *Παροψίς*

vulgo dicitur de variis iusculis, leguminibus, omnino levioribus cibariis, quæ ad carmen edebantur; sed significat etiam vas talia continens, quamquam hunc usum improbabant severi orationis Atticæ sectatores, quos iure Pollux X, 87 sq. non sequitur; citat enim hæc Antiphanis: *καλέσασά τε παρατίθησιν ἐν παροψίσι βολβούς*. Extat idem locus ap. Ath. IX, 367, f, qui alterius usus multa exempla profert pp. 367, b—368, c. Frequentior usus apud Romanos, v. Sueton. Galb. 12 extr.: "paropsidem leguminis." Iuv. III, 142: "quam multa magnaque paropside coenet;" Martial. XI, 13, 18 et 27, 5: "portat gaudens ancilla paropside rubra alecem." (Sordida amica fictilem præfert, quod in lauto convivio minime decebat). Cf. Charisius lib. I, p. 82. Orta est apud Romanos vitiosa nominis forma *parapsis*, quæ plus etiam invaluit prava inventa etymologia, ut ad *absida* referretur — quod et ipsum vasis nomen est, rotundi, ut

patet, et cavi; commemorantur aurea emblemata in argenteis absidibus ab Ulpiano et Paulo in Digest. XXXIV, 2, leg. 19 § 6 et leg. 32 § 1. — Apud Isidorum Or. XX, 4 legimus: "Parapsis quadrangulum et quadrilaterum vas i. e. paribus absidis." Vitiosa forma extat ap. Petron. 34 et 50; Ulpian. in Dig. XXXIV, 2, 19 § 6: "vasa argentea veluti parapsidas, acetabula, pelves, trullas;" præterea hic illic in codicibus Suetonii et Iuvenalis ll. cc.

Cum usu vasis consentiens Hesychius παροψίδας interpretatur μεγάλα τρύβλια· quamquam idem mox contrarium tradit, esse ὀξυβάφια. Plerumque satis magnae fuerunt, et magnitudinis laudem vidimus in Iuvenalis loco; nec tamen negaverim, etiam minores fuisse; legimusque ap. Alciphronem III, 20 præstigiatorem minoribus scutellis, μικραῖς παροψίσι utentem. Interdum quadratas fuisse, in Isidori loco vidimus.

5. Τρύβλιον,

quod nominat Pollux VI, 85; X, 86, vas est Aristophanis tempore usitatissimum; recteque VV. DD. catillum interpretari videntur. Dicitur ῥοφεῖν τρύβλιον, sorbere catinum, ap. Ar. Ach. 278, Eq. 905; κυκᾶν Plut. 1108. In tryblio eduntur ἀφύαι Av. 77. Omnino vas est maxime vulgare, v. Vesp. 937; Av. 361, 387; Eccl. 847, 1177, 252: τὰ τρύβλια κακῶς κεραμεύειν, ut fictilia fuisse videamus. Postea et his et ceteris pretium additum est, ut in Philippidis fr. ap. Ath. VI, 230, b. argenteum est quinquaginta drachmarum. Cf. Athen. IV, 169, e, f; XII, 549, f; al. Etiam Romani nomen receperunt, v. Varro L. L. V, § 120.

Τρύβλια maiora fuisse quam ὀξύβαφα, docet schol. ad Ar. Av. 361. Ceterum eiusdem generis fuerunt, et quum illud nomen obsoletum esset, hoc autem in sermone

mansisset, scholl. Ar. (Eq. 650, 905, Plut. 1108) τὰ τρύβλια simpliciter interpretantur ὀξύβαφα· barbarus autem schol. ad Ran. 985: τὸ πινάκιον, οἱ δέ φασι τὸ σαλτζάριον. Quamquam de forma huius vasis nulla alia tradita sunt, Panofka tamen putat, se tryblium ostendere posse (V, 40). Mihi quidem hoc poculum videtur, calix vel Thericlius, ut IV, 34; tryblium apertius et planius fuisse videtur, ut schol. Vesp. 674 ἐκπέταλα commemorat.

6. Ὀξύβαφον

ait Athenæus (XI, 494, b) communem usum dicere vasculum, quod acetum recipiat; cf. Eubuli fr. 494, e; Pollux VI, 85: ὀξύβαφα, ἐν οἷς τὰ ἡδύσματα ἢ βρώματα. Et videtur hoc primum fuisse in oxybaphis, ut acria condimenta continerent; sed nec forma a poculis multum abhorruit, nec usus semper discretus fuit. Apud comicos Græcos oxybapha prorsus pro poculis dicuntur: iam Cratinus οἰνηρόν dixit; alia exempla ex Aristophane et Eubulo affert Athenæus l. l. Pro acetabulo ponitur in fr. Platonis ap. Ath. VI, 229, f; et est hæc significatio omnibus grammaticis notissima.

Fuerunt, ut omnis mensæ apparatus, interdum admodum pretiosa, ut aurea Platonis l. l., in vulgi usum testacea. Quæ quin tenuissimo opere deducta fuerint, nemo dubitet, præsertim quum apud Suidam legamus, Dioclem Atheniensem invenisse τὴν ἐν τοῖς ὀξυβάφοις ἁρμονίαν, ὀστρακινοῖς ἀγγείοις, ἅπερ ἔκρουεν ἐν ξυληφίῳ.

Parva fuisse et plana patulaque forma, omnes auctores consentiunt. Athenæus (494, c) ait esse εἶδος κύλικος μικρᾶς et (ibid. e) ἐκπέταλον ποτήριον. Congruit, quod apud Aristophanem in Av. 361 Pisthetærus Euelpidi quærenti, quid oculis suis prætendat, suadet: ὀξύβαφον ἐντευθενὶ

προσθοῦ λαβὼν ἢ τρυβλίον, comparato Festo s. v. lance: "qui furtum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrum familiæ aut virginum præsentiam." Schol. Ar. Av. l. l. docet *τὰ τρυβλία* maiora esse; schol. Acharn. 1110: *λεκάνια καὶ λεκανίδας τὰ μείζονα τῶν ὀξυβάφων καὶ ἐκπέταλα.* Ac ne quis putet, quia ap. schol. Ar. Vesp. 674 *κηθάρια* legimus esse *τὰ ὀξύβαφα ἐξ ὧν τοὺς κύβους ἠφίεσαν*, et apud Photium: *κήθια· ὀξύβαφα οἷς κυβεύουσιν*, profunda fuisse et pyrgis similia, apud eundem schol. legimus, *κηθάριον* esse *πλέγμα κανισκῶδες*. Videmus igitur, antiquos non solum ex turriculis angusto ore (v. Becker. Gall. II, p. 222), sed etiam, ubi nulla fraus metuenda erat, ex apertis acetabulis talos iecisse.

Mire erravit in hoc nomine Panofka, primum discrimen aliquod statuens inter *ὀξύβαφον* et *ὀξυβάφιον*, quod nullum esse monstravit Letronn. Ephem. 1833, p. 609 sqq., tum prorsus contra omnium antiquorum testimonia oxybaphon crateram esse statuens, quia in pede craterae alicuius stilo irrasa invenerat *ΟΞΥΒΑΦΑ* ⁝ *ΔΔ*, v. Rech. 1, 38; VI, 8. Secutus est Gerhardus Ult. R. 19; sed nemo, ut opinor, amplius sequetur, postquam de his notis accurate egit Letronnius in Ephem. Er. 1837, p. 750 sqq. Hic vel pluralis *ὀξύβαφα* ostendit, ad hoc unum vas referri non posse. Certam oxybaphi formam propter inopiam testimoniorum equidem definire non audeo; illud constat, in ingenti illo parvorum fictilium numero, quæ ad nos pervenerint, quærendam esse.

In extremum locum distulimus præcipuum quendam oxybaphorum usum. Est hic in *cottabi* ludo, quem a Siculis inventum omnes Græci tanto studio receperunt, ut quidám etiam cottabi ludo quam iaculandi certamine excel-

lere mallent (Ath. XI, 479, e), Bacchique gymnasium (Ath. XVI, 668, f) ceteris præferrent. Nam ubi in conviviis iam bibendi tædium eos ceperat, reliquum quod in cratera erat vini, iaculando profundebant, hac alea simul amorum fortunam augurantes. Quum hic ludus fere innumerabilibus modis variaretur (v. Becker. Chaticl. I, p. 476—480, et quos ille laudat, ex antiquis autem præcipue Athenæus XV, 665, f—669, b; Pollux. VI, 109—111; Schol. Ar. Pac. 343, 1241, 1243; Schol. Lucian. Lexiphan. 3): tum unum semper retentum invenimus, vinum proiectum, ut locum aliquem feriat. Feriebatur *aut* aenum vacuum, ut tantum maximus sonitus quæreretur, *aut* acetabula (*ὀξύβαφα*) in pelvi natantia (*λεκάνην* dicunt et *χαλκεῖον, σκάφην* Pollux, *ποδανιπτῆρα* Ameipsias ap. Ath. 667, f), quæ proiecto vino pulsa et degravata mergenda erant, *aut* lanx quasi e trutina suspensa, quæ vini pondere depressa pupam quandam aeneam, Manen*) nomine, infra stantem pulsare debebat. — Iaculabantur autem vinum plerumque ex poculis, maxime ex calicibus (ut Callimach. ap. Ath. 668, c; peculiare genus ad hoc aptum *κοτταβίδες* dictæ, v. Ath. XI, 479, d), ex carchesiis (Ath. 667, e), cantharis**) (473, d), etiam ex pateris (Sch. Pac. 343). Interdum ex ipso ore vinum eiiciebant, unde vomere dictum *ἀποκοτταβίζειν*. — Aliud genus a Beckero non commemoratum

*) *Μανῆς* erat Lydium servorum nomen, v. Strab. VII, p. 304; Ar. Av. 522: *ἀνδράποδ', ἠλιθίους, Μανᾶς.* Nescio, unde fictile vas idem nomen tulerit in fr. Niconis ap. Ath. XI, 487, c: *Μάνην δ' εἶχε κεραμεοῦν, ἁδρόν, χωροῦντα κοτύλας πέντ' ἴσως.*

**) Panofka (Rech. p. 51) "Quomodo cantharis," inquit, "ad cottabum usi fuerint, non perspicio." Letronnium etiam in eum errorem induxit, ut hos cantharos putaret esse prorsus singularis generis (Ephem. 1833, p. 733, not. 2). Ego sane, quid sit quod mirentur, nondum intellexi.

videmus ap. schol. Pac. 1242, et hoc quidem inter homines valde sobrios; nam aqua utuntur. Ex altera parte trutinae suspendunt ellychnia; hæc in aquam demersa humore implent; tum alteram trutinæ partem celeriter deprimunt, ut e madido ellychnio spargantur guttæ aquæ: hæc autem erat sive doctrinæ, sive fortunæ laus, si guttæ non in pavimentum, sed in cymbia quædam infra posita cecidissent.

Sed quis non videt, talem ludum innumerabilibus modis posse variari; quos si cui libuerit cognoscere, auctores, quos laudavimus, perlegat. Nos fortasse iam longiores sumus, nisi nomina quædam eo pertinentia commemoranda erant. *Κοτταβεῖον* dicebatur aenum, in quod vinum iaculabantur, v. Ath. 667, f; etiam *κότταβος*, 666, d. Et quum antiquitus ex iis poculis, quæ aderant, vinum proiecissent, mox aucto studio maiorem apparatum fecerunt. Propria conclavia rotunda huic ludo idonea constructa sunt, et calices confecti ad hoc genus accommodati, *κοτταβίδες* nomine, v. Hegesander ap. Ath. XI, 479, c. sqq. Panofka vas pictum (VII, 37; Becker. Charicl. tab. 3, 2) cottabi ludum ostendere putat; equidem nihil video a vulgari convivio alienum.

Ut hastam in pugna, ita in cottabo vinum (*λάταγα κότταβον*) summa vi emittebant, et constans est utriusque certaminis comparatio apud scriptores. Etiam vinum *ἀπ' ἀγκύλης* proiiciunt, v. Ath. XV, 667, c; XI, 782, d; *ἀγκυλητοὺς κοττάβους* dixerat Æschylus (782, e); Anacreon ap. Ath. X, 427, d: *Σικελικὸν κότταβον ἀγκύλῃ δαΐζων*, h. e. iaculando infestans cottabum, ut opinor, vas vinum recipiens, *τὸ κοτταβεῖον*· (nimis temeraria coniectura Dindorfius *ἀγκυλίζων* scripsit). Talibus locis male intellectis, ut Cratini 782, d: *ἀκράτου δύο χοᾶς πίνουσ', ἀπ' ἀγκύλης ἐπονομάζουσα ἵησι λάταγας τῷ Κορινθίῳ*, ubi verba

ἀπ' ἀγκύλης cum πίνουσα coniunxerunt, non cum ἵησι, factum est, ut grammatici quidam poculi genus statuerent τὴν ἀγκύλην, v. Ath. 667, c. Propagatus est hic error per Pollucem VI, 95, per Hesychium, quin per Athenæum ipsum, qui undecimo libro vasorum nomina conquirendi studiosus ἀγκύλην dicit esse ποτήριον πρὸς τὴν τῶν κοττάβων παιδιὰν χρήσιμον.

7. Ὀξίς

a Polluce VI, 85 ponitur inter condimentorum vasa, diciturque id esse, in quo acetum insit. Idem tradit schol. Ar. Eq. 1304 et Plut. 812. Confirmatur etiam scriptorum locis, ut Diphili fr. ap. Ath. II, 67, d; Arist. Ran. 1440, ubi Euripides consilia inventurus, quibus rempublicam servet, suadet, ut acetum in hostium oculos spargant:

Εἰ ναυμαχοῖεν κᾆτ' ἔχοντες ὀξίδας
ῥαίνοιεν ἐς τὰ βλέφαρα τῶν ἐναντίων.

Hic locus duplicem peperit errorem Hesychii, qui et nominativum ponit ὀξίδαι, et interpretatur λαγύνια μικρά. Maiore fide dignus videtur schol. Ar. Eq. 1304 interpretans: ἃ καλοῦμεν ὀξυβάφια· quid inter utrumque genus interfuerit, nos decernere non possumus, nam temeraria conjectura est schol. Plut. 812, quod dicit appellatas παρὰ τὸ εἰς ὀξὺ λήγειν.

Extat hæc vox præter eos locos, quos citavimus, in Ar. Plut. 812 et in frr. Nicostrati et Sopatri ap. Ath. VI, 230, d, e. Parva vascula fuerunt, et singularis videtur magnitudo notari in Diphili fr. 67, d, quod acetabulum heminam ceperit. Principio ex argilla fiebant, v. Poll. X, 122; Schol. l. l. et ad Ran. 1440: ὀξίδες κεράμια μικρά.

Mox divitiarum numen fictilia aeneis permutavit, v. Ar. Plut. 812; ex argento cælata sunt in fr. Sopatri.

Ἐμβάφια, quæ nominat Pollux VI, 85 et X, 86, nomine tenus cognita habemus.

Τὰ τῶν ἡδυσμάτων ἀγγεῖα, ait Pollux X, 92, *ἐρεῖς κυψέλας, ὀξίδας*. Addit *τὴν ἐλαιηρὰν ἐπίχυσιν*, quam supra commemoravimus (p. 104). *Κυψέλης* nomen late patuisse videtur, ac nescio an omnia comprehenderit eiusmodi vascula operculo clausa; saltem exiguus extat nominum numerus, ut si quis singulis vasorum formis totidem nomina quærat, ei satisfieri non possit.

Ex pluribus vasculis coniunctis effecta est *ἡδυσματοθήκη* varia condimenta continens. Eundem *κυμινοδόκον* appellatum esse tradit Pollux X, 93, qui affert ex Nicochare hæc: *σοφαῖς παλάμαις τέκτονος εἰργασμένον, πολλὰ ἐν αὑτῷ λεπτὰ ἔχον καδίσκια, κυμινοδόκον*. Alii dixerant *κυμινοδόχην* et *κυμινοθήκην*. Talia vascula coniuncta v. Pan. V, 53 (cf. supr. p. 110 not.), Gargiulo Collezione delle forme Tav. III d. classi; sæpius in operculis maiorum vasorum *ὀψοφόρων*, ut Gargiul. Cenni tab. 9.

Videamus iam breviter de fictilibus poculis et cibariorum vasis quæ ad nos pervenerunt. Hic summa est distinguendi difficultas, nam quod iam in nominibus vidimus, genera confundi, ut *ὀξύβαφον* et acetabulum et poculum sit, *κυλίχνη* et poculum et paropsis, id in formis etiam magis evenit; nam eædem formæ, quæ poculorum sunt, partim in eam magnitudinem amplificantur, ut ne acerrimus quidem potor inde bibere potuisse videatur, partim in tam angustum spatium circumscribuntur, ut vix nisi ad sal et piper et alia condimenta adhibita fuerint. Formæ tamen eædem sunt; quare permulta vasa ambigua restant

Verum si cui libuerit has testas recensere, distinguantur primum

procera et plana vasa; tum in utroque genere maxime apparet ansæ varietas.

I.

Procera vasa.

1) Non ansata pocula ex argento et vitro frequentia sunt, ex argilla minus sæpe occurrunt. Sunt tamen aliqua exempla ut Stackelb. Gräber d. H. 33; Gerh. Ult. R. 22; scyphos fuisse puto. Rariora sunt antiqua quædam longo pede insistentia, v. Gerh. Rap. Volc. 37; Ult. R. 27; sunt etiam ooscyphia nonnulla, v. Pan. V, 103.

2) Duabus ansis instructa vulgaria sunt.

a. Unum genus pede caret.

α. Quæ simplici admodum forma ostium habent paulo latius quam fundum, aures fere ipso labro appositas et æquoris lineam servantes, maxime ex Italico genere inveniuntur. Plerumque maiora sunt quam pro poculis (cf. p. 43); v. Pan. IV, 50. Alia tam parva sunt, ut acetabula habeam.

β. Alia aures habent sursum erectas, neque exceptis antiquis quibusdam, ut Gargiulo Cenni tab. 6, poculorum magnitudinem excedunt. Recte scyphos appellasse videtur Gerhard. Rap. 47; Ult. R. 21, 45. Hi maxime rudis et antiquæ Atticæ artis sunt; rarius ex perfecto genere occurrunt.

γ. Alia parva vascula duplici ansarum genere ornata commemoravimus p. 131, not. Expl. v. Gerhard. Rap. 48; Ult. R. 47. Ansa in anuli modum formata apta est ei qui vasculum accipit, auricula apposita est, ut de clavo pendere possit. Plerumque plano fundo subsistunt; sed vas ap. Gerh. Rap. n. 49 turbinis modo in acutum desinit. *Πλημοχόην* appellare possit, qui Müllero credat (Arch. 299, h). Hoc autem nomine tradunt ultimum Eleusiniorum diem esse appellatum propter poculum quo uterentur; sed quale hoc poculum fuerit, nescimus; nec Athenæus 496, a, qui *βεμβικώδες ἑδραῖον ἡσυχῇ* esse dicit, magis sequendus est, quam Pollux X, 74, qui contrarium affirmat, esse vas *οὐκ ἔχον ὀξὺν τὸν πυθμένα, ἀλλὰ ἑδραῖόν τε καὶ στάσιμον.* Unde Panofka (III, 54) suum habeat, non intelligo.

δ. Alia pocula sine pede, non auribus sed longis ansis instructa, propter pinguem et rotundam speciem potius cantharis, quam scyphis annumeranda videntur (v. supr. p. 137). Exemplum v. Pan. II, 47. Frequentia sunt ex Italico genere ansis non tam longe a corpore di-

gredientibus. Quod ap. Gerh. Rap. 43 spectatur vas procero corpore carchesiis quam cantharis similius est.

b. Alterum genus pede insistit. Raro auribus instructum est, ut ooscyphia quædam (v. Pan. III, 51), plerumque magnis ansis; hos cantharos fuisse putamus.

α. Plerumque ansæ longe super labrum erectæ sunt, pingue corpus non sine causa Baccho adamatum, v. Gerh. Ult. R. 21. Crescente arte vas procerius fit et gracilius, ansæ tenuiores firmitatis causa transtris quibusdam obliquis muniuntur. Exemplar Atticum v. Pourtalés 7. Magnæ elegantiæ sunt Italici canthari, quorum corpus non minus quam craterae (II, 2; p. 88) florum calices imitantur, ansæ etiam ut caules quasi folia quædam emittunt, et ubi labrum attingunt humanis capitibus ornantur, v. Pan. Rech. IV, 61; Gerh. Ult. R. 23. — Canthari humiliores et magis depressi v. Pan. IV, 62; Gerh. Ult. R. 20.

β. Sæpe ansæ ipsam oram attingentes eam superare non audent. Atticum Exemplar exhibet Gerh. Rap. 44. Frequentiora sunt Italica nigro fere colore, interdum striata, ut Pan. IV, 19.

3) Simplex ansa iis vasculis convenit, quibus liquores hauriuntur et funduntur, a poculis proprie aliena videtur Verum ut cotylas vidimus non solum hauriendi, sed etiam bibendi usum præbuisse, ita μόνωτα quædam ποτήρια inveniuntur non bibenti solum, sed etiam haurienti apta. Nec si antiquum eorum nomen quæratur, aliud puto inveniri posse, quam κοτύλην et κοτυλίσκον· nam quem κώθωνα habere possim, nullum vidi.

a. Primum genus basi instructum, corpore patenti admodum, longa ansa, non inventum est nisi ex Attico genere. Exempla v. Gerh. Rap. 34, 35; Ult. R. 28. Cf. supr. p. 111.

b. Alterum genus, anulari fere ansa, plano ipsius vasis fundo insistens

α. aut labrum habet fundo amplius, ut Pan. II, 46; III, 49; IV, 71,

β. aut minus amplum, ut Pan. IV, 63, 64, 66, et Atticum ap. Stackelb. Gräber d. H. 38,

γ. aut poculum infra in globi quandam similitudinem intumescens mox æquali proceritate surgit. Duo exempla perantiqua Athenis inventa, longâ ansâ instructa, extant in museo Regis Daniæ. Innumerabilia fere sunt ex Italico genere nigra et striata; v. Gargiul.

Cenni tab. 8 summa, et Collezione delle forme tab. 4 classium 44, 5.

Interdum pars corporis intumescens humani capitis speciem exhibet. Hoc tamen maxime in iis invenitur, quæ triplex os ad fundendum destinata fuisse ostendit (v. p. 104).

c) Tertium genus stare non potest, sed de clavo suspendi debet; aut in acutum desinit, aut in eleganter ficta animalium capita, v. Panofka V; Gerh. Ult. R. 39; cf. supr. p. 155.

Non desunt vilia et nigra acetabula simpliciter ansata.

II.

Humilia vasa.

1) Non ansata.

a. Nec pedem nec basin habent pateræ, vel umbonibus ornatæ vel sine umbonibus, v. Pan. IV, 29, 31; III, 30; Gerh. Rap. 42.

b. Basis addita est lancibus et patellis, ut Pan. III, 59; IV, 32. Præterea ingens extat discorum numerus vilis et Italici operis. Tum salina quædam.

c. Alia alto pede insistunt, ut Pan. V, 89. Pleraque tam parva sunt, ut vix nisi ad condimenta cibariorum apta videantur.

2) Quæ duabus auribus portantur, aut basi aut pede insistunt.

a. Ex illis distinguere licet

α. planiores sive lances sive patellas, ut Pan. IV, 36, 41; Gerh. Ult. R. 30. — Alia aures habent non ex corporis rotunditate procedentes, sed ex labro sursum erectas, ut Gargiulo Cenni tab. 8; Collez. d. form. tab. 2 classium, n. 26.

β. Profundiora catilli, paropsides, mazonoma fuisse videntur. Operculo fere teguntur. Exempla v. Pan. III, 42; IV, 74; Gerh. Ult. R. 32; Gargiulo Collez. d. forme tab. 2, nn. 22 et 23.

Ex neutro genere desunt parva condimentorum vascula.

b. Quæ alto pede insistunt, omnia κύλικας appellare solent, quod ut in minoribus verum videtur, ita maiora ad cibaria, fructus, bellaria præferenda aptiora videntur. Plerumque ex Attico genere sunt, nec pauca excellunt summa pulchritudine.

α. Planiora v. Gerh. Rap. 38, 39, 41; Ult. R. 31.

β. Profundiora v. Gerh. Rap. 40; Pan. Rech. IV, 33, 34; V, 40. Cf. supr. p. 144.

8) Quæ una aure portantur, eorum unus videtur esse usus ad cibaria. Nunquam pede munita sunt.

a. aut plana sunt,

b. aut profundiora, sæpe labro introrsum flexo, ut omnem excludant bibendi usum, v. Pan. IV, 72; Gargiulo Collez. tab. 2, n. 27.

Peracto iam, non absoluto, finito, non ad finem perducto opusculo de nominibus vasorum Græcorum, non dubitamus, quin si quis hunc libellum vel legerit, vel pervolverit, libenter sit quieturus, velut si longum per inculta et horrida loca iter sit confectum. Quod vero unum est molestiarum omnium et viarum solatium, si quid magni et præclari efficiatur, si quid novi et veri inveniatur, id si quis quæsierit num hoc loco adsit, non sane audebimus affirmare; contra fatendum est, sæpius errores detectos esse, quam verum inventum, sæpius extinctum, quod falso lumen esset creditum, quam novam lucem apertam. Nec tamen nihil hac re putamus effectum. Etenim semper nobis persuasum fuit, si hoc studium antiquorum monumentorum vel colligendorum vel explicandorum non otiosis hominibus oblectamentum, sed litterarum studiosis fructum esset allaturum, summa cura et veritatis amore agendum esse. Itaque quum in hac quæstione de nominibus vasorum tam multos errores vagari vidissemus, rem denuo suscepimus pertractandam, id unum spectantes, ut vera et certa invenirentur nomina; quam multa, nihil referre arbitrati. Quid enim ista nominum multitudine lucramur, nisi ut falsa tribuatur nominibus significatio, falsus vasorum usus fuisse putetur? Antiqua nomina ubi certa sunt, patet esse adhibenda, ubi nondum inventa sunt, potius nova fingantur ex nostris linguis nomina, quam ut inani doctrinæ ostentatione vel incerta admodum vel

prorsus falsa pro veris usurpentur. Hi errores ut removerentur, dedimus operam, nec rei suavitate delectati, nec nostrarum eam rati esse virium; sed quia nemo alius tam sterilem rem videbatur aggressurus, quæ in antiquorum scriptis extabant, quam potuimus accuratissime conquisivimus, interdum, si quid inde elici posset, ipsi experti; ubi nihil videbamus, feliciori Oedipo relinquentes. Verum de rei ipsius difficultate quum in introductione abunde facta est mentio, tum totam disputationem documentum esse spero. Hoc potius a nobis postulari posse videtur, ut quibus subsidiis in hac re simus usi, rationem reddamus.

Quum igitur duæ sint huius opusculi partes, altera philologica de nominibus, altera archæologica de vasis ipsis, in hac maxime parte non admodum nobis confisi sumus, ob eamque causam quæ huc pertinentia finitis singulis capitibus addenda erant, minoribus literis iussimus excudi. Qui enim nondum ultra patriæ fines egressi sub septentrionibus vivimus ab Italia et Græcia longe remoti, vix mille amplius vidimus antiqua vasa. Haunia quidem duabus non maximis contenta est chytrothecis — si licet novum nomen fingere, quod nondum protulit Bavariæ rex — *Thorvaldseniana* et REGIA CHRISTIANI VIII. Hanc maxime a Capycio Latrone, archiepiscopo Tarentino conditam, postea semper auctam, quæ nobis insigni REGIS AUGUSTISSIMI liberalitate patuit, diligenter perlustravimus. Quare si quid in hac parte recte fecimus, REGIO acceptum ferimus beneficio, et quorum officio et benevolentia in hac re sumus adiuti, C. T. de Falbe et C. J. Thomsen; si quid erravimus, ex inopia subsidiorum speramus veniam paratam fore.

Sed præcipua huius opusculi pars est philologica, vel, si strictius dicendum est, lexicologica. Hæc enim in studia iam per plures annos incubuimus, eo maxime duce, cuius

quum egregia subtilitas ad aliorum errores detegendos et refellendos, tum oculorum acies numquam obscurata ad tenebras removendas verumque penitus reconditum eruendum facta et destinata videtur: MADVIGIUM dico, qui non maiore litterarum amore quam humanitate excellens tam benigne ingenii sui divitias studiosis impertit adolescentibus, ut vel post multa sæcula Madvigii non nomen solum, sed aliqua ex parte ingenium mansurum esse videatur; qui etiam hoc perlecto libello permultas eius maculas sustulit, ut eius opera non paulo tersior et emendatior in publicum prodeat. Ut vero magister ille omni semper laude cumulandus est, ita hinc discedere non possum, quin grato animo commemorem CHRISTIANUM LISTOVIUM, cuius fideli et prudenti opera in extrema libelli recognitione usus sum, adolescentem mihi amicissimum, quum antiquitatis studiosissimum, tum eximia præditum Latini sermonis peritia.

INDEX NOMINUM.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 5, v. 27: *ab* scriptum est pro *ob*.

Pag. 6, v. 29 add. Abeken. Ital. Med. pp. 186 et 187, cf. tab. 3, n. 6.

Pag. 8, v. 2 scribatur *ληκύθῳ*.

Pag. 31 add. Strab. V, 1, 12: *πίθοι ξύλινοι μείζους οἴκων*.

Pag. 33 quater *diminutivum* scriptum est pro *deminutivo*.


Pag. 38, v. 19 post *ξύλου* add. Eosdem *ξυλίνους πίθους* dicit Strabo V, 1, 8.

Pag. 58 not. extr. Asinum Aristophanis rhytum fuisse, effici videtur ex adiecto *κεχηνώς*.

ad pag: 81.



Bing & [illegible]




Arc1825.10
De Nominibus vasorum graecorum dipu
Fine Arts Library
3 2044 034 593 970